QUAESTIONES PISISTRATEAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD MAGISTRI HONORES

AB AMPLISSIMO

ORDINE HISTORICORUM ET PHILOLOGORUM DORPATENSIUM

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT ET PUBLICE DEFENDET

IOANNES TOEPFFER

LIVONUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

CAND. V. de SCHOEFFER. — PROF. DR. G. HOERSCHELMANN. — PROF. DR. L. MENDELSSOHN

DORPATI.

TYPIS H. LAAKMANNI.

1886.

Ex decreto ordinis Historicorum et Philologorum publicatum.
Dorpati d. XXIV m. Maii a. MDCCCLXXXVI.

Nr. 72.

Dr. G. Hoerschelmann
h. t. decanus.

GEORGIO LOESCHCKE

UDALRICO DE WILAMOWITZ-MOELLENDORFF.

Quaestiones Pisistrateae.

I.

Pisistrati nomen primum apparet in eo bello, quod Athenienses cum Megarensibus de Salamine gesserunt. Quam insulam Solonis aetate Megarensium fuisse eoque vivo in Atheniensium potestatem redactam esse, constat. Salamis insula historiae lumine Solonis demum temporibus collustratur, cui ipsi maximo honori datum est, quod gravissimam illam insulam Atheniensibus in perpetuum subiecisset. Cuius rei gloria non minoris ducebatur ea, quam legibus conscribendis conquisiverat Solo.

Nec tamen desunt, qui etiam Pisistratum maximum illo bello honorem consecutum esse referant. Res ab eo illo bello praeclare gestae postea quasi fundamentum eius tyrannidis exstitisse feruntur.

Recentiores scriptores quidquid de bello illo scripserunt, maxime eis nituntur, quae Plutarchus in vita Solonis de tem, pore et duce belli Salaminii exposuit. At narrationi Plutarcheae quamvis in his rebus copiosissimus et uberrimus fons sit, nimiam homines docti auctoritatem attribuisse videntur.

Tradit Plutarchus (Sol. 8) Athenienses, versibus elegiacis Solonis auditis, persuadente imprimis Pisistrato, bellum contra Megarenses decrevisse bellique ducem fecisse Solonem. Sequuntur duae narrationes, inter se plane differentes, quibus ipsa insulae expugnatio describitur. Priorem τὰ δημώδη τῶν λεγο-

μένων esse autumat Plutarchus. Solonem una cum Pisistrato ad Coliadem profectum doloso inde in Megarenses impetu facto, Salamine esse potitum. In altera narratione, quae usu quodam vetere probatur Plutarcho, uno Solone duce insula expugnatur.

Quae narrationes, si temporum rationes spectamus, summas nobis praebent difficultates. Plutarchus enim Salaminis expugnationem multo ante Solonis magistratum ponit, quem ol. 46,3 = 594/3 archontis munere functum esse constat (Sosicrates apud Diog. L. I § 62).[1]) Jam vero cum Pisistratus ol. 63,1 = 528/7 demum mortem obierit, nullo pacto fieri potest, ut in illo bello iam consilio ac factis praestiterit. Plutarchum igitur hic inter se pugnantia retulisse, apertum est.

Cui discrepantiae foedissimae ut mederentur alii aliam ingressi sunt viam.

Westermannus (Adn. ad Plut. Sol. 8) quondam temporum difficultates ita dimovere studuit, ut eum Pisistratum, quem Plutarchus commemorat, tyranni avum fuisse sumeret. Sed quamvis Graecorum mos sit tritissimus, nepoti idem nomen dare, atque avo inditum fuerat, Westermanni opinio tamen

---

1) Salaminis occupatio etiam bello Crisseo Epimenidisque Athenarum lustrationi praemissa est. Hinc vulgo ipsum belli Salaminii tempus definitur: Dunckerus G. d. A. VI^5 p. 146. At iniuria. Bellum Crisseum ol. 47,3 = 590 demum confectum esse verisimile est: Niesius, Histor. Unters. A. Schäfer gewidmet. Bonn 1882 p. 16. De ipso archonte non constat. In Proleg. schol. Pind. Pyth. p. 298 B. primo Σιμωνίδης, tum Σίμων affertur. In M. P. s. ep. 37 exhibetur Σίμων. Landwehrius, qui nuper (Philol. S. B. V, 1884, p. 100 sq.) uberius de hac re disputavit, admodum dissolute in aestimanda auctoritate singulorum testimoniorum versatus est. — Jam vero ea, quae de Epimenide tradita sunt, omnino ad certos annos revocari nequeunt. De eius persona diversissima his temporibus augurati sunt: Hillerus M. Rh. XXXIII, p. 525 sq. Rohdius M Rh. XXXIII p. 208 sq. Niesius l. l. p. 12 sq. Loeschckius, Die Enneakrunosepisode bei Paus. Dorp. 1883 p. 23 sq. Busoltius Gr. G. I p. 509. Veterum scriptorum de Epimenide testimonia satis diligenter congessit Schultessius, De Epim. Crete. Bonnae 1877, supra nihil fecit.

diserto Herodoti testimonio refellitur V, 65: ἐπὶ τούτου δὲ καὶ τὠυτὸ οὔνομα ἀπεμνημόνευσεν Ἱπποκράτης τῷ παιδὶ θέσθαι τὸν Πεισίστρατον, ἐπὶ τοῦ Νέστορος Πεισιστράτου ποιεύμενος τὴν ἐπωνυμίην.

Alii ut temporum ordo restitueretur, de Pisistrato, ol. 27,4 = 669 archonte eponymo (Paus. II. 24,7), cogitaverunt. Sed hic prae nimia senectute non magis, quam minor ille prae nimia iuventute bello Megarensi interesse potuit. Omnino vero Plutarchus, si alium Pisistratum, atque Atheniensium tyrannum intellexisset, procul dubio hoc clare significasset.

Nec profecto est, cur Pisistratus, Hippocratis filius, quin bello Salaminio interfuerit, in dubium vocetur. Probatur Plutarchi illud testimonium cum ab aliis, tum a gravissimo scriptore Herodoto I. 59: ἐδεῖτό τε τοῦ δήμου (Πεισίστρατος) φυλακῆς τινος πρὸς αὐτοῦ κυρῆσαι, πρότερον εὐδοκιμήσας ἐν τῇ πρὸς Μεγαρέας γενομένῃ στρατηγίῃ; Νίσαιάν τε ἑλὼν καὶ ἄλλα ἀποδεξάμενος μεγάλα ἔργα.

Itaque cum de Pisistrati praefectura ambigi nequeat, Plutarchi temporum descriptionem non esse rectam, cogitur.

Grotius (II p. 17 sq. Meiss.) quidem quamvis in corrupto Plutarchi temporum ordine offenderit, tamen eundem, atque ille, sequitur ipse. Omnino certum et proprium iudicium de rebus hoc bello gestis apud Grotium desideratur. Sufficit ei Plutarchi narrationem cum omnibus discrepantiis ac diversitatibus repetere nec quas praebet offensiones tollere aut certi quidquam statuere conatur ipse. Quod ad Herodoti illud testimonium de Pisistrati imperio attinet, Grotius eum posterius quoddam inter Athenienses et Megarenses bellum intellexisse suspicatur. De ipso Herodoto ille haec facit verba satis perplexa II p. 120: ‚In der Auffassung des Herodot und nach dem, was ich einen Fehler in seiner Chronologie zu nennen

wage, läuft der Zwischenraum zwischen 600 und 560 vor Christo von 40 Jahren zu wenig oder nichts zusammen.' [1])

Curtius (Gr. G. I^{5} p. 309) bellum Salaminium post Solonis aetatem renovatum esse sumit. In altero hoc bello Pisistratum praestitisse. Ita et Plutarchi temporum ordinem servat nec removet Pisistratum.

Dunckerus (G. d. A. VI^{5} p. 135 sq. 224 sq.) idem Plutarchi controversias ita tollere studet, ut duo bella statuat, quorum alterum ante Solonis legumlationem gestum, Salamine expugnata conficitur, alterum, Nisaea a Pisistrato capta, componitur. Atque cum Plutarchus duas diversas de insulae expugnatione narrationes exhibuerit, — quarum videlicet alterutra genuina potest esse — Dunckerus temere utraque usus, bis Salamina captam esse hinc deducit. Alteram quidem Plutarchi narrationem ille praefert eamque ad prius bellum revocat, quippe cum prior narratio propter Pisistrati societatem ad hoc bellum non conveniat. Ergo hanc cum eis, quae de Pisistrati rebus bello Salaminio gestis commemorat Herodotus (I. 59) Dunckerus secure conglutinat.

Similem rationem in diiudicanda hac quaestione secuti sunt Prinzius, De Sol. Plut. font. Bonnae 1867 p. 6. Bohrenius, Philol. XXX p. 185. Meinholdius, De reb. Salamin. Regim. 1879 p. 11 sq. Arnoldus Hug, M. Rh. XXXII p. 631.

Quam duplicandi rationem non iam nostrae aetatis arti criticae convenire, primus, quod scio, Thirlwallus (Hist. Gr.

---

1) Eandem sententiam, paulisper recoctam, nuper protulit P. Stettiner, Ad Solonis aetatem quaestiones criticae. Regim. 1885 p. 47: ‚Constat inter omnes a patre historiae spatium triginta annorum, quod inter Solonis archontatum et Pisistrati tyrannidem intercessit, neglectum esse.'

II, p. 26 Schm.) monuit. Ad eum se applicat Grundnerus (Quo temp. et duce bell. Salam. gest. sit. Ienae 1875), qui etsi recte statuit, unum bellum et id quidem a Pisistrato, non a Solone, esse gestum, tamen dubito, num eis, quae protulit argumentis, cuiquam sententiam suam probaturus sit. Nimis enim levi bracchio rem egit.

Post eum Begemannus (Quaest. Solon II. Regim. 1878) idem iterum demonstrare conatus est. Qui quamquam Grundneri commentatiunculam prorsus ignorasse videtur, ultra eum novi vix attulit quidquam.

Expressius hanc sententiam his temporibus obtinuerunt Benedictus Niese l. l. et Udalricus de Wilamowitz-Moellendorff (Herm. IX p. 319. XII p. 342. Kydath. p. 124). Nec tamen desunt, qui etiam postmodo secus statuerint, veluti Alfredus de Gutschmid (Flach, Gesch. d. Griech. Lyr. II. 1884, p. 365) Iosephus Ionas (De Solone Atheniensi. Monasterii 1884, p. 21 sq. Busoltius (Griechische Geschichte 1885. I p. 521) [1]).

Itaque cum hominum doctorum opiniones valde inter se discedere videamus, operae fortasse erit pretium, rem saepius pertractatam iterum vocare in medium. Atque ut ex fontibus denuo excussis quod quidem novitate renideat redundaturum haud existimo, ita si iam accuratius definitum fuerit, quaenam ratio inter singula scriptorum testimonia intercedat, etiam rerum fidem certius, quam adhuc licuit, diiudicari posse, non despero.

Primum quid veteres ipsi de Solonis belli Salaminii admi-

---

1) Qui liber commentatione hac iam confecta in conspectum demum cecidit meum. Attamen in ipsa verborum serie cur mutarem quidquam non habui. Reicietur obiter contraria Bulsoltii sententia per adnotationes. Idem valet de Holmio (Griechische Geschichte. Berlin 1886. I p. 481), qui eiusdem canonis novissimus exstitit vindex.

nistratione tradiderint, perlustrabo. Praeter Plutarchum (Sol. 8—9) rem commemoraverunt Polyaenus I. 20 § 2 et Aelianus v. h. VII. 19. Quae testimonia acriter inter se diiungenda sunt. Quippe narratio Aelianea — de qua infra videbimus — ex eodem, atque altera Plutarchea fonte manavit, Polyaenus vero priorem Plutarchi relationem expressit. Quod, si Polyaeni strategema Solonis cum narratione Plutarchea contulerimus, liquido patescet:

Plutarchus	Polyaenus.
(Σόλων) πλεύσας ἐπὶ Κωλιάδα μετὰ τοῦ Πεισιστράτου καὶ καταλαβὼν αὐτόθι πάσας τὰς γυναῖκας τῇ Δήμητρι τὴν πάτριον θυσίαν ἐπιτελούσας ἔπεμψεν ἄνδρα πιστὸν εἰς Σαλαμῖνα προσποιούμενον αὐτόμολον εἶναι κελεύοντα τοὺς Μεγαρεῖς, εἰ βούλονται τῶν Ἀθηναίων τὰς πρώτας λαβεῖν γυναῖκας ἐπὶ Κωλιάδα πλεῖν μετ᾽ αὐτοῦ τὴν ταχίστην.	Σόλων ἔπλευσεν ἐπὶ Κωλιάδος, ἔνθα αἱ γυναῖκες Δήμητρι ἑορτὴν ἐτέλουν ἐπ᾽ αὐτῇ τῇ θαλάσσῃ. Αὐτόμολον ἐκπέμπει Σόλων ἀγγελοῦντα Μεγαρεῦσιν· Ἢν ἐπὶ Κωλιάδος πλεύσητε, τὰς Ἀθηναίων γυναῖκας αἱρήσετε χορευούσας· ἀλλὰ μὴ μέλλετε.
Ὡς δὲ πεισθέντες οἱ Μεγαρεῖς. .	Μεγαρεῖς τῇ ἀπάτῃ πείθονται.
(Σόλων) τὰς μὲν γυναῖκας ἐκποδὼν ἀπελθεῖν ἐκέλευσε. . .	Σόλων δὲ τὰς γυναῖκας ἀναχωρῆσαι κελεύει. . .
σκευασαμένους καὶ λαβόντας ἐγχειρίδια κρυπτὰ παίζειν καὶ χορεύειν προσέταξε πρὸς τῇ θαλάσσῃ.	κρυπτοῖς ἐγχειριδίοις ὡπλισμένα παρὰ τὴν ἠόνα παίζειν καὶ χορεύειν ἔταξεν.
Οὕτω δὲ τούτων πραττομένων ὑπαχθέντες οἱ Μεγαρεῖς τῇ ὄψει καὶ προσμίξαντες ἐγγὺς ἐξεπήδων ὡς ἐπὶ γυναῖκας.	οἱ δὲ Μεγαρεῖς τῇ ὄψει τῶν ἀγενείων καὶ τῇ ἐσθῆτι τῶν γυναικῶν ἐξαπατώμενοι τῶν νεῶν ἀποβάντες ἐπειρῶντο συλλαμβάνειν οἷα δὴ γυναῖκας.

Finem narrationis paulisper ad oratoriam dictionem accommodavit Polyaenus, id quod ipsa libri eius natura postulabat.[1]) Consensus inter utrumque vero tam est insignis, ut Polyaenum totam narrationem ex ipso Plutarcho delibasse, vix possit negari. Quamquam cogitari potest, utrumque ex eodem fonte hausisse, quem — si hoc malumus — paene ad verbum ab iis esse exscriptum, necesse est.[2]) Parvulas discrepantias, quae non nisi ad elocutionem pertinent, e varia librorum natura et dispositione natas esse apparet.

Una quidem differentia commemoranda est, qua tamen haec inter utrumque scriptorem ratio non modo non labefactatur, sed haud scio an comprobetur: Polyaenus unum Solonem insulam expugnavisse tradit, cum Plutarchus eum Pisistrato socio usum esse perhibuerit. Sunt, qui Polyaenum, quippe cum in confusa Plutarchi temporum descriptione offenderet, consulto ab eo discessisse sumpserint.[3]) Sed dubito, num Polyaenus tantopere in temporum ordines inquisiverit tantumque acuminis omnino isti scriptori liceat attribui. Quod unum Solonem rem gessisse refert, non nisi ex operis eius indole explicandum est. Polyaenus librum suum ita instituit, ut sub nomine unius cuiusque viri deinceps eius res gestas, utpote quibus hominis mores illustrarentur, enarraret. Itaque cum in Plutarchi illa narratione primas ageret Solo, Pisistratus vero illi quasi comes esset adiunctus, Polyaenus non dubitavit militare illud facinus soli

1) Plutarchi narratio versus finem non est integra.

2) Otto Knott, de fide et font. Polyaeni (Comment. phil. Ienens. 1884) p. 83 quae apud utrumque scriptorem pariter referuntur strategemata ad communem auctorem recedere arbitratur. Sed dubito, num eius ratiocinationes hominum doctorum plausum laturae sint.

3) Arnoldus Hug, M. Rh. XXXII, p. 630. Bohrenius Philol. XXX p. 188.

Soloni, de quo verba fecit, vindicare. Totum igitur Polyaeni testimonium per se non flocci pendendum est.

Itaque, quoniam brevis imperii Solonis commemoratio Aelianea ex eodem atque Plutarchi altera narratio fonte delibata est, nullius nisi Plutarchi testimonium iam relinquitur. Ab omnibus reliquis scriptoribus Solo habetur is, qui civium animos concitaverit, non, qui vi et armis bellum confecerit ipse.[1])

Plutarchi igitur narrationi quaenam fides habenda sit, explorandum est. Quam si nullam ei esse vindicandam invenerimus, de Solonis quoque illo imperio secus erit statuendum.

Plutarchus duas relationes exhibet, inter quas nulla omnino intercedit ratio. Converto me primo ad alteram, cuius haec fere est summa: Solo oraculi Delphici iussu postquam heroibus Salaminiis sacra fecit, cum quingentis voluntariis una navi triremi multisque navigiis Salamina vehitur. Megarenses de hac re certiores facti navem mittunt exploratum. Quam captam Solo fortissimis Atheniensibus complet eosque ad urbem vehi iubet. Ipse

---

1) Begemanno quidem Salamina ipso Solone duce expugnatam esse etiam Diogenis Laertii testimonio comprobatur (Quaest. Solon. I, p. 10). At Diogenes, qui omnibus iis locis, quibus cum Plutarcho consentit, sicut ille Hermippum compilasse videtur, de bello Salaminio mirum quam est parcus I § 46: (Σόλων) *μαίνεσθαι προσποιησάμενος . . . ἀνέγνω διὰ κήρυκος τὰ συντείνοντα περὶ Σαλαμῖνος ἐλεγεῖα καὶ παρώρμησεν αὐτούς. καὶ αὖθις πρὸς τοὺς Μεγαρέας ἐπολέμησαν καὶ ἐνίκων διὰ Σόλωνα.* Extremis his verbis indicari sibi persuasit Begemannus, Solonem ipsius belli fuisse ducem. At iniuria ille quidem. Repugnant eius sententiae ipsae rationes grammaticae, cum *ἐνίκων διὰ Σόλωνα* significet, vicisse Athenienses propter Solonem, minime vero eo duce. Quippe spectant Diogenis haec verba non nisi ad versus illos elegiacos, quibus Solo cives ad bellum concitavisse fertur. Fuit Diogenis auctor in hac parte certe alius atque is, quem secutus est Plutarchus. Nec minus quae Valer. M. V, 3 Ext. 3, Ps. Demosth. Erotic. 49 sq. alii seriores in Solonem laudibus efferendum congesserunt, ex ipsa eius elegia deducta sunt. Quod quomodo factum sit, optime Polyaeni testimonio illustratur I. 20, § 1: *Σόλων δὲ μάλα ἐθαυμάζετο, καὶ τὸν νόμον λύσας τῇ μανίᾳ καὶ τὸν πόλεμον νικήσας τῇ μουσικῇ.*

terra eodem profectus, cum hostibus congreditur. Sed proelio nondum confecto, ii, quos navi imposuerat Solo, ipsa urbe potiuntur.

Spectat huc ipsum levidense et abruptum testimonium Aelianeum (v. h. VII, 19) quod ad eundem fontem revocandum est: Solo in pugnam de Salamine insula proficiscitur duobusque Megarensium navigiis potitus Athenienses iis imponit. Cum his, postquam hostium arma induerunt, furtim in alium portum invectus (μεθορμισθεὶς δι' ἀπάτης) multos Megarensium occidit inermes. Cui narratiunculae, monstrose quidem decurtatae, quin eiusdem rei memoria subiaceat, dubitari non potest.[1] Quocirca vile hoc Aeliani testimonium pro pleniore et puriore Plutarchi narratione plane posse praetermitti, nemo non concedet.

Revertimur ad Plutarchum. Dunckerus eius narrationem pro re historiae fide comprobata ducit alteramque hanc Plutarchi de Salaminis occupatione relationem refert ad Solonem, priorem Pisistrato vindicat.[2]) Nec non Plutarchus ipse alteram narrationem, quippe quae usu aliquo antiquo bene comprobetur, praefert priori.

Ad diiudicandam auctoritatem huius narrationis maxime

---

1) Parum feliciter F. Rudolphus, Leipz. Stud. VII (1884) p. 1 sq. quos auctores in conscribenda varia historia expresserit Aelianus nuper studuit definire.

2) G. d. A. VI[5] p. 145: ‚Die Verbindung Solons mit Delphi ist sicher. Für die Tradition über den Hergang der Eroberung hat die zweite Erzählung bei Plutarch jedenfalls den Vorzug. Für sie sprechen die Gründung des Heiligthums des Enyalios auf dem Vorgebirge Sciras bei Alt-Salamis und die von Plutarch angeführten Gebräuche, mit welchen die Athener die Wiedereinnahme der Insel feierten, endlich die Beziehung, mit welcher sie Solon mit Delphi zeigt.‘ Simplicior Bohrenius, cui plerique recentiores se applicaverunt l. l. p. 188: ‚Offenbar aber giebt die richtige Darstellung der Solonischen Expedition Plutarch im folgenden Capitel (cap. 9).‘ Dunckeri partitionem receperunt etiam Busoltius Gr. G. I p. 521 et Holmius Gr. G. I p. 481.

refert, ut iam statuamus, ubinam ipsa illa urbs, in quam Solo impetum fecisse perhibetur, fuerit collocata.

Antiquissimis temporibus Salamina insulam liberam civitatem fuisse, nunciam certo constat.[1]) Veri simile est, hic antiquitus regnasse Aeginetas. Comprobatur hoc variorum et rerum scriptorum et fabularum testimoniis.[2]) Mittere possum fabularum argumenta, quibus scatent carmina Pindarica, expressa scriptorum testimonia propono. Apollodorus (Strab. p. 394): ἐπιφανὴς δὲ ἡ νῆσος ὑπῆρξε διά τε τοὺς Αἰακίδας ἐπάρξαντας αὐτῆς, καὶ μάλιστα δι' Αἴαντα τὸν Τελαμώνιον. Consentit Pausanias I. 35, 1: πρῶτον δὲ τῇ νήσῳ *** θέσθαι τοῦτο ἀπὸ τῆς μητρὸς Σαλαμῖνος τῆς Ἀσωποῦ, καὶ ὕστερον Αἰγινήτας τοὺς σὺν Τελαμῶνι ἐποικῆσαι. Hinc Salamina antiquitus cum Aegina arte conexam et aptam fuisse, elucet. Ac convenit optime cum his rationibus, quod ipsa antiqua urbs Salamis in meridiana insulae parte, quae ad Aeginam spectat, sita fuisse perhibetur[3]): cuius rei gravis-

1) De hac re infra uberius exponetur.

2) Quarum fabularum rationes persequi et redigere vel per se haud scio an sit operae pretium.

3) Apollodori testimonium debilitare nuper studuit Lollingius, Hist. u. Phil. Aufs. E. Curtius gewidm. 1884, p. 8 sq. Proficiscitur ille a fabula, quam praeter alios conservavit Strabo p. 393: *Κυχρείδης ὄφις, ὅν φησιν Ἡσίοδος τραφέντα ὑπὸ Κυχρέως ἐξελαθῆναι ὑπὸ Εὐρυλόχου λυμαινόμενον τὴν νῆσον, ὑποδέξασθαι δὲ αὐτὸν τὴν Δήμητρα εἰς Ἐλευσῖνα καὶ γενέσθαι ταύτης ἀμφίπολον.* Cuius narrationis origo procul dubio recedit ad summam antiquitatem, qua inter civitatem Eleusiniam et Atticam nullaedum intercedebant rationes. Cychreum, vetustissimum Salaminis eponymum, etiam cum Aegina insula et cum Megaris satis antiqua necessitudine coniunctum fuisse constat. De ipso loco, quo ille celebratus sit, certiora nescimus. Apud Aeschylum Graeci cum Persis *ἀκτὰς ἀμφὶ Κυχρείας* pugnavisse dicuntur (Pers. 570) et eius sacrum Salamine commemorat Pausanias I. 36, 1. Laudat praeterea Lycophro *Κυχρεῖος ἄντρα Βωκάρου τε νάματα* (Alex. 451). Ipsos hos specus Lollingius in Cynosura paeninsula prope novam urbem Salamina reperisse sibi videtur. Nititur eius argumentatio St. B. loco s. v. *Κυχρεῖος πάγος· περὶ Σαλαμῖνα*: ‚In dieser von Pausanias bestätigten Angabe kann unter Salamis nur die spätere Stadt Salamis verstanden werden, deren Ueberreste an der Bucht von

simum testem Aeschylum idem excitat Apollodorus (Strab. p. 393): *ἔχει δ' ὁμώνυμον πόλιν τὴν μὲν ἀρχαίαν ἔρημον πρὸς Αἴγιναν τετραμμένην καὶ πρὸς νότον (καθάπερ καὶ Αἰσχύλος εἴρηκεν ‚Αἴγινα ταύτῃ πρὸς νότου κεῖται πνοάς'*). [1]) In ipso hoc insulae fine antiquarum parietinarum reliquias indagavit Dodwellius (Tour in Greece I p. 576). Fieri potest, ut ipso hoc loco vetusta illa urbs fuerit sita.

At Apollodori temporibus iam evanuerat illaquidem: testificatur is ipse in orientali insulae parte propter sinum quendam, ad Atticam conversum, postero tempore novam urbem exstructam esse: *τὴν δὲ νῦν ἐν κόλπῳ κειμένην ἐπὶ χεῤῥονησοειδοῦς τόπου συνάπτοντος πρὸς τὴν Ἀττικήν* (Strab. p. 393). Dum Salamis cum Aegina insula necessitudinis vinculo arte erat coniuncta, antiquam illam urbem in meridiano insulae fine permansisse consentaneum est. Megarenses autem, quos postmodo insula

---

Ambelaki und auf der Windmühlenhöhe liegen' (p. 9). Sed eius ratiocinationem probare nequeo, quoniam verba illa *περὶ Σαλαμῖνα* eodem iure ad insulam possunt referri. (cf. St. B. s. v. *Φλάνων· πόλις καὶ λιμὴν περὶ τὴν Ἄψυρτον νῆσον. Σογδιανή· χωρίον περὶ τὴν Βακτρικήν. Φιλωτέρα· πόλις περὶ τὴν Τρωγλοδυτικήν.*) Hinc igitur ad loci situm redundat nihil. Nec magis Pausaniae verba ad locum illum determinandum ullam praebent ansam (I. 36, 1). Quocirca num Lollingius effecerit, quod promisit, dubito: ‚der Nachweis der genaueren Lage des Hügels, an den sich der Cult des alten mythischen Landeskönigs knüpfte, wird uns lehren, wie weit die bei Strabon a. a. O. vorliegende Notiz über die Verlegung des Hauptortes der Insel richtig ist.' Satius in hac re erit stare expressis cum Apollodori tum Aeschyli testimoniis. Neque video, cur omnino inter novam et antiquam urbem distinxerint scriptores, nisi aliquando oppidi situs fuerit mutatus. Invenitur autem eadem distinctio etiam in novissimo, qui ad Salaminem insulam pertinet, titulo *Ἐφ. Ἀρχ.* 1884 p. 169/70, 32: . . . *[κεῖτα]ι ἡ ἀρχαία πόλις [ἡ προ]σον[ομ]ασθεῖ[σ]α Κυ[χρεία].* Ultimum nomen propter intervalli spatium aliter aegre posse suppleri qui inscriptionem edidit Tsuntas rectissime animadvertit. Quod si plane firmum esset hoc supplementum, vel hinc tota Lollingii argumentatio redargueretur.

1) Libri: *Αἴγινα δ' αὕτη.* Arguta Loeschckii (De titulis aliquot Att. Thes. V.) coniectura *Αἴαντος ἄστυ* vereor ne sit violentior ut in Strabone.

potitos esse constat. in orientali Salaminis parte, ad Athenas ipsas vergente, novam urbem exstruxisse ab omni abhorret probabilitate.[1]) Quapropter huius urbis aedificationem in ea demum tempora differendam esse, quibus insula iam Atheniensium facta erat, necessario cogitur.

Itaque illa aetate, qua inter Athenienses et Megarenses de Salaminis proprietate bellabatur, nisi antiqua ista urbs, in meridiano insulae fine sita, nulla omnino Salamine fuisse potest.

Qua re constituta iam ad narrationem nostram accedamus. Refert Plutarchus (Sol. 9): Ἄλλοι δέ φασιν οὐ τοῦτον τὸν τρόπον γενέσθαι τὴν κατάληψιν, ἀλλὰ . . . (Σόλωνα) ἀναχθέντα συχναῖς ἁλιάσιν ἅμα τριακοντόρου συμπαραπλεούσης ὑφορμίσασθαι τῇ Σαλαμῖνι κατὰ χηλήν τινα πρὸς τὴν Εὔβοιαν ἀποβλέπουσαν. Πυθομένους δὲ τοὺς ἐν Σαλαμῖνι Μεγαρεῖς ἔκ τινος φήμης οὐδὲν βέβαιον, αὐτοὺς μὲν εἰς τὰ ὅπλα θορυβουμένους βαδίζειν, ναῦν δ' ἀποστεῖλαι κατασκεψομένην τῶν πολεμίων· ἧς ἐγγὺς ἐλθούσης κρατῆσαι τὸν Σόλωνα καὶ καθεῖρξαι τοὺς Μεγαρεῖς. Ἐμβιβάσαι δὲ τῶν Ἀθηναίων τοὺς κρατίστους κελεύσαντα πλεῖν ἐπὶ τὴν πόλιν ὡς ἂν ἐνδέχηται μάλιστα κρύπτοντας ἑαυτούς. Ἅμα δὲ τοὺς ἄλλους Ἀθηναίους ἀναλαβόντα πεζῇ συμφέρεσθαι τοῖς Μεγαρεῦσι· καὶ τῆς μάχης ἔτι συνεστώσης φθάσαι τοὺς ἀπὸ τῆς νεὼς καταλαβόντας τὴν πόλιν. Verba ὑφορμίσασθαι τῇ Σαλαμῖνι κατὰ χηλήν τινα πρὸς τὴν Εὔβοιαν ἀποβλέπουσαν ferri nequire in quacumque insulae parte Solonem egressum esse statuimus nemo non videt. Hoc modo quam in partem ulla Salaminis lingula spectaverit, significari omnino non potest. Nec qui Εὔβοιαν in Νίσαιαν, Μίνωαν, Αἴγιναν mutaverunt rem ipsam coniecturis suis promoverunt, quoniam locum istum necessario ad oram Atticam fuisse conversum, apertum est.

---

1) Megarenses certe urbem condidissent in amplo et ipsis proximo sinu Koluri qui hodie audit.

Quid in corruptela lateat, sagacissime mihi perspexisse videtur Wilamowitzius, qui pro ЄΥΒΟΙΑΝ substitui iubet ΘΥΜΟΙΤΑΝ[1]). Qui locus exadversus ipsam Cynosuram paeninsulam (ad quam nimirum Plutarchi verba *κατὰ χηλήν τινα* pertinent) est positus[2]), subter quam milites occulte eduxisse putandus est Solo. Thymoeta vero vel Thymaeta vetustus fuit portus Atticus, unde Atheniensium expeditionem egressam esse haud scio an finxerint seriores (Plut. Thes. 19).

Revertor ad Plutarchum. Solo Salamine milites divisisse dicitur: partem navi, quam ceperat a Megarensibus, imponit eosque, quam possint clam, contra urbem iubet vehi, cum altera ipse terra hostes aggressurus est. Hic de nulla re alia, nisi de subita et necopinata oppressione agi, ex toto belli apparatu elucet. Eventus expeditionis — id quod illis temporibus saepissime cernitur — in furtivo accessu ac repentino impetu videlicet erat positus. Ipsa igitur escensio Soloni ita erat instituenda, ut quam minimo intervallo Athenienses ab hostibus abessent.

Adparet hinc luce clarius, de antiqua illa urbe Salamine, quae in meridiano insulae fine iacebat, nequaquam hic posse cogitari, sed totam narrationem Plutarcheam non nisi ad novam urbem spectare, quam supra Cynosuram ad portum Ambelaki, qui hodie vocatur, sitam fuisse constat. Iam vero cum hanc urbem ab Atheniensibus demum ipsis conditam esse supra viderimus. narratio ista, qua Salaminis expugnatio collustratur, tum demum divulgata esse potest, cum antiquae urbis memoria iam evanuisset neque ulla alia esset nota, nisi ea, quae

1) De ipso nominis fine adhuc non plane constat, sed aliorum exemplis haec forma satis probatur.

2) Milchhoefer, Text zu den Karten von Attika. p. 10.

in orientali insulae ora in Atheniensium conspectu erat posita.[1]) Hoc fore ut concedatur spero.

Iam me convertor ad usum antiquum. quo narrationem suam comprobari autumat Plutarchus. Cuius summa eo continetur, quod navi Attica ad insulam appulsa, vir armatus cum clamore in Sciradium promunturium accurrerit. De Sciradii situ qui postremus egit Lollingius (Mitth. d. Arch. Inst. I p. 134 sq.) promunturium illud inter septentriones et orientem solem (in conspectu praedii Attici monasterialis Skarmanga) exadversus parvulam insulam Leron iacuisse sumit.[2]) Hic Lollingius inscriptionem invenit in saxum incisam, in quo nomina sua prytanes Hippothontidis tribus, qui deam coluerant, inscripserunt. Tituli verba εὐσεβήσαντες τὴν θεὸν αὐτοὺς ἀνέγραψαν ipsa nomina partim mutilata sequuntur. Ad hunc locum pristinum Sciradium revocat Lollingius, cum, nisi Minervam Scirada, nullam in ullo Salaminis promunturio deam cultam fuisse notum sit nec de simili cultu alius deae Salamine quidquam habeamus compertum. Ergo Arapis montem, qui hodie nuncupatur, priscum illud ἄκρον Σκιράδιον fuisse, ubi Minerva Sciras culta fuisset. Nec multum inde ipsius deae templum abfuisse. In propinquo Lollingius etiam illius, cuius Plutarchus mentionem fecit, Enyalii templi reliquias invenisse sibi videtur.

Quae ratiocinationes satis sunt probabiles nec repugnavit iis adhuc quisquam. Non iniuria fortasse. Attamen una saltem

---

1) Fert omnino tota res posterioris fictionis vestigia prae se. Ipsam enim urbem Salamina, quae tamdiu Atheniensium armis restitisset, unius navis impetu potuisse capi, ab omni abhorret probabilitate. Sed origo huius narrationis certe a satis antiquis temporibus repetenda. Verisimile est, eam postero tempore in Atheniensium annalibus fuisse descriptam.

2) Lollingio nuper adstipulatus est Robertus, Herm. XX p. 349.

parte labascere mihi videtur argumentatio Lollingiana, id quod silentio praeteriri hoc loco non oportere opinor.

Sed refert hic paullo accuratius iam ea percensere, quae de pugnae Salaminiae locis tradiderint veteres. Quorum testimoniis nisus Loeschckius (N. Jahrb. f. Philol. 115 p. 25 sq.) propriam hac de re protulit sententiam, quae tamen hodie vix potest comprobari.[1]) Nec parum ad eam debilitandam attulisse mihi videtur Lollingius ipse (Hist. u. phil. Aufs. E. Curtius gewidm. p. 4 sq.). Ex Herodoti verbis VIII. 85: Κατὰ μὲν δὴ Ἀθηναίους ἐτετάχατο Φοίνικες· οὗτοι γὰρ εἶχον τὸ πρὸς Ἐλευσῖνός τε καὶ ἑσπέρης κέρας· κατὰ δὲ Λακεδαιμονίους Ἴωνες· οὗτοι δ' εἶχον τὸ πρὸς τὴν ἠῶ τε καὶ τὸν Πειραιέα septentrionalis freti Salaminii exitus Phoenicum navibus saeptus fuit, meridianus vero ab Ionibus occupatus. Phoenicibus in sinistro Graecorum cornu respondebant Athenienses, Ionibus, qui ad Piraeum vergebant, Lacedaemonii, dexterum cornu obtinentes. Hinc utrorumque classem ita fuisse instructam, ut Persae tergis in Atticam, Graeci in Salamina essent conversi, adparet. Loeschckius Diodori (Ephori?) auctoritate (XI. 18) nisus, apud Herodotum Ἐλευσῖνα mutat in Σαλαμῖνα proeliumque navale in meridiana parte freti Salaminii, ubi mare utroque latius diffunditur, commissum esse sumit, ita ut Graeci tergis ad septentrionem, Persae ad meridiem vergerent. At iniuria. Diodorum enim, quippe qui Phoenices dexterum Persarum cornu (XI. 17), Athenienses vero sinistrum Graecorum obtinuisse referret (XI. 18), eadem atque nos apud Herodotum legisse, rectissime monet Busoltius (M. Rh.

---

1) Loeschckio assensus est Volquardsenus, Burs. J. B. XIX, p. 58. Oblocuti sunt praeter eos, quos supra attuli, Dunckerus G. d. A. VII[5] p. 282 et Jernstaedtius, журн. мин. народн. просв. 1882, CCXX p. 105.

XXXVIII p. 627). Omnino vero Diodori illa ἐξέπλευσαν καὶ τὸν πόρον μεταξὺ Σαλαμῖνος καὶ Ἡρακλείου κατεῖχον cum ceteris testimoniis vel optime possunt consociari, si haec verba ad primum Graecorum impetum referimus, quorum dexterum cornu pugnam iniisse constat.[1]) Itaque ne levissima quidem subest causa, cur de gravi ac simplici Herodoti narratione deflectamus. Nec non cum eo consentit qui ipse pugnae interfuit Aeschylus.

Comprobatur autem pugnae Salaminiae descriptio Herodotea vel felicissima Lollingii emendatione. Herodotus Persas, fallaci Themistoclis consilio audito, ut Graecos in ipso freto includerent, hac usos esse machinatione testatur VIII. 76: ἐπειδὴ ἐγίνοντο μέσαι νύκτες, ἀνῆγον μὲν τὸ ἀπ᾽ ἑσπέρης κέρας κυκλούμενοι πρὸς τὴν Σαλαμῖνα (ἀνῆγον δὲ οἱ ἀμφὶ τὴν Κέον τε καὶ τὴν Κυνόσουραν τεταγμένοι) κατεῖχον δὲ μέχρι Μουνιχίης[2]) πάντα τὸν πορθμὸν τῇσι νηυσί. Cum his si superius Herodoti testimonium (VIII. 85) comparamus, dexterum Persarum cornu ἀμφὶ τὴν Κέον, sinistrum vero ἀμφὶ τὴν Κυνόσουραν collocatum fuisse adparet. Sed quid hoc loco Ceus insula, quae in tota hac narratione ferri omnino nequit? Dimovit luculentissime difficultatem Lollingius, cum KEON, quod aperte depravatum

---

1) Aesch. Pers. 399: *τὸ δέξιον μὲν πρῶτον εὐτάκτως κέρας ἡγεῖτο κόσμῳ.* Quae sibi Breitungus N. Jahrb. f. Philol. 1884 p. 859 hac de re persuasit, probare nequeo. Nam quod ille totam Graecorum aciem primo in ipso freto collocatam, cum pugna inciperet, ad meridianum exitum se convertisse ponit, hoc nec scriptum est usquam nec cum eis, quae scripta sunt, concinit.

2) Conspirant prorsus cum his quos exhibet Herodotus VIII. 77 oraculi versus:

Ἀλλ᾽ ὅταν Ἀρτέμιδος χρυσαόρου ἱερὸν ἀκτὴν
νηυσὶ γεφυρώσωσι καὶ εἰναλίην Κυνόσουραν
ἐλπίδι μαινομένῃ λιπαρὰς πέρσαντες Ἀθήνας

Quod oraculum *ἐναργέως λέγοντι Βάκιδι* adscriptum post pugnam ipsam compositum esse nemo negabit. Dianae *ἱερὸς ἀκτή* Munichia scilicet est paeninsula, ubi deae templum olim condidisse ferebatur Munichus. Suid. s. v. *Ἔμβαρος.*

est, mutaret in ΛΕΡΟΝ. Quo nomine etiamnunc parvula illa insula vocatur, quae septentrionali freti Salaminii ori proiecta est.

Adfulget autem hinc lux narrationi illi de Corinthiorum ante pugnam Salaminiam fuga, de qua Herodotus VIII. 94 et Plutarchus de Her. mal. c. 39 verba fecerunt Quae narratio etsi ab historiae fide abhorret, tamen ad locorum situm restituendum idonea est, quippe quae eo tempore, quo inventa est, nimirum ita institueretur, ut cum locis congrueret. Hinc profecti Leakius (Demen p. 214 West) Corinthios per septentrionalem, Wachsmuthius (Stadt Athen p. 443) per orientalem transitum fugisse conieccrunt. Secundum autem hanc ratiocinationem ille Sciradium in septentrionali insulae parte fuisse sumit, ubi nunc monasterium Fanaromeni est, hic promunturii illius situm ad meridianum insulae finem revocat. Lollingius se Leakio adplicavit ita, ut Adeimantum post terga Atheniensium, per angustum freti os septentrionale perrupisse statuerat, id quod parum quidem est verisimile, cum Persarum acies longissima fuerit Phoenicumque naves sinistrum Graecorum cornu, ubi erant positi Athenienses, longe excessisse constet (Herod. VIII. 76). Nec credibile est, Athenienses inter suas naves et ipsum insulae litus intervallum reliquisse, cum si hoc fecissent, facillime a Phoenicibus potuissent circumcludi. Accedit, quod Diodorus XI. 17 diserte testificatur, fretum Megarense Persarum navibus fuisse saeptum: *εὐθὺς οὖν (ὁ βασιλεὺς) τὸ τῶν Αἰγυπτίων ναυτικὸν ἐξέπεμψε προστάξας ἐμφράττειν τὸν μεταξὺ πόρον τῆς τε Σαλαμῖνος καὶ τῆς Μεγαρίδος χώρας.* Obtinebant praeterea Corinthii dexterum Graecorum cornu, ubi cum ceteris Lacedaemoniis etiam Aeginetas et Megarenses positos fuisse constat (Diod. XI. 18). Iam vero cum ex narratione Herodotea Corinthii *αὐτίκα κατ' ἀρχὰς, ὡς συνέμισγον αἱ νέες* fugam capesserint, celoce autem ad Sciradium conspecta

reverterint, ita ut ἐπ' ἐξεργασμένοισι demum ἐς τὸ στρατόπεδον pervenerint. promunturium illud nequaquam exadversus Lerum insulam situm fuisse potest, ubi ipsum proelium inter Phoenices et Athenienses flagrabat. Evanescunt omnes difficultates, si Adeimantum inter Cynosuram paeninsulam et Psyttaleiam domum aufugisse statuimus. Ac convenit optime cum hac re, quod apud Plutarchum Corinthiorum navi fugienti κέλης ille συντυχεῖν dicitur περὶ τὰ λήγοντα τῆς Σαλαμινίας (cui loco apud Herodotum respondet τὸ ἱερὸν Ἀθηναίης Σκιράδος). Iam vero cum verba illa referantur ad aliquem, qui ex freto Salaminio tetenderit Corinthum, profecto, si simplici mente rem spectamus, meridianum insulae finem hic esse intellectum, omnes habet probabilitatis numeros.

Quae cum ita sint Lollingii verba: ‚So führt also auch die Angabe Herodots darauf, das skiradische Vorgebirge an der Skarmanga oder Eleusis zugekehrten Seite von Salamis zu suchen' (Mitth. I p. 135) imbecilla mihi videntur esse. Quippe cogimur ipsa narratione Herodotea, ut Sciradium in meridiana insulae parte, ubi Kokki mons in mare procurrit, quaeramus. Nec quae de Minervae Sciradis cultu Salaminio praedicat Lollingius ita manifesta sunt. Colebantur procul dubio Salamine in insula vel multae aliae deae, de quarum quidem sacris certiora nondum devenerunt ad nos.[1]) Itaque pristinus ille, quem

1) Edocemur his de rebus paene solis lapidibus. — Videtur autem ut Minervae Sciradis ita Cereris quoque cultus Salaminius ad rupem quandam adhaesisse: Suid. s. v. Σαλαμῖνος· ἔστι δὲ καὶ Ἀγέλαστος πέτρα καλουμένη ... ὅτι ἐκεῖ ἐκαθέσθη ἡ Δήμητρα κλαίουσα, ὅτε ἐζήτει τὴν κόρην. Quamquam qua est tota haec fabula mobilitate alii rupem quoque istam alio transtulerunt. — De Hecates simulacro Salamine reperto: Kekulé Ant. Bildw. d. Thes. n. 72. Furtwaengler, Mitth. III. p. 194. Ad eandem deam haud scio an referenda sit tabula votiva apud Schoenium (Griech. Rel. p. 108) depicta, quam quidem Sybel (Katal. 315) revocat ad Proserpi-

describit Plutarchus, mos, qua parte insulae concelebratus sit, certis terminis circumscribere non audeo. Quodsi scriptorum testimoniis fides habenda, locum illum in meridiano Salaminis fine, prope vetustum insulae caput fuisse situm, mihi quidem vero proximum videtur. Nec dubito, quin in ipsa narratione Plutarchea, non integra illa quidem, etiam celebrationis locus aliquomodo fuerit definitus. Plutarchus usum istum his describit verbis: Ἔοικε δὲ τῷ λόγῳ τούτῳ καὶ τὰ δρώμενα μαρτυρεῖν. Ναῦς γάρ τις Ἀττικὴ προσέπλει σιωπῇ τὸ πρῶτον, εἶτα κραυγῇ καὶ ἀλαλαγμῷ προσφερομένων εἷς ἀνὴρ ἔνοπλος ἐξαλλόμενος μετὰ βοῆς ἔθει πρὸς ἄκρον τὸ Σκιράδιον *** ἐκ γῆς προσφερομένοις. Quot vel quae verba post Σκιράδιον interciderint, vix potest divinari, verum probabile est, hic de distantia loci aliquid fuisse additum. velut: *στάδια ἀπέχον τῆς πόλεως ἐκ γῆς προσφερομένοις. Sequuntur apud Plutarchum: Πλησίον δὲ τοῦ Ἐνυαλίου τὸ ἱερόν ἐστιν ἱδρυσαμένου Σόλωνος. Ἐνίκησε γὰρ τοὺς Μεγαρέας, καὶ ὅσοι μὴ διεφθάρησαν ἐν τῇ μάχῃ, πάντας ὑποσπόνδους ἀφῆκεν.

Ad ipsum Sciradium et Enyalii illud sacrum certe vetustissimus pertinebat cultus. Σκῖρος, priscus Sciradii eponymus Salaminius, arte coniunctus est cum Scirone Megarensi.[1]

---

nam. — Quod Pausanias I. 36, 1 affert Dianae sacrum ad sinum Ambelaki iacuisse puto, ubi III. vel II. a. Chr. s. Bendidis templum fuisse ex inscriptione adparet illic reperta: C. I. G. I, 109 et Add. p. 901 a. — De Veneris cultu Salaminio certo non constat. Exhibet sane titulus in Piraeo inventus Salaminiorum decretum, quod pertinet ad solemnia Veneri acta (Ἀθήναιον VIII p. 138). Sed cum Citieos in Piraeo Veneris sacrum condidisse constet (C. I A. II, 168) dubitari potest, an non decretum illud fuerit Cypriorum. Quamquam considerandum est, Salaminiorum nomini hic non adiectum esse *ἀπὸ Κύπρου* — quo additamento a Salaminiis Atticis distinguebantur — id quod in pilis sepulcralibus fieri assolet (Kumanudes *Ἐπιγρ. ἐπιτυμβ.* 2348. 2349. Koehler Mitth. IV p. 256).

1) Ut cum Salamine insula ita etiam cum Aegina Scironi angustae intercedebant necessitudines. Apollod. III. 12. 6: *Γαμεῖ δὲ Αἰακὸς Ἐνδηίδα τὴν Σκίρωνος, ἐξ ἧς αὐτῷ παῖδες ἐγένοντο Πηλεύς τε καὶ*

Fabularum Megarensium, quae ad hunc spectant, rudimenta etiamnunc exstant apud Paus. I. 39, 6 et 44, 6. De eodem heroe Megarensi egit Praxion in altero libro Megaricorum (Harpocr. s. v. Σκῖρον). Qui quam anguste conexus fuerit cum Sciro Salaminio, vel inde patescit, quod Scironi adscribebatur etiam συνοικίσαι τὴν Σαλαμῖνα[1]). In ipsis fabulis Salaminiis Scirus Neptuni filius est, Salaminis, Asopi filiae, maritus (Hesych. s. v. Σκειρὰς Ἀθηνᾶ). Quarum fabularum primordia procul dubio in satis remota tempora redeunt. Rectissime igitur Robertus Herm. XX p. 354 autumat: ‚Alle diese Traditionen reichen in die Zeit hinein, wo Salamis mit Megara politisch verbunden war, so dass

---

Τελαμών. Eandem affinitatem, a Pherecyde quidem in suspicionem vocatam, commemorant Plut. Thes. 10. Paus. II, 29, 9. Schol. Eur. Andr. 687. Philostephanus Endeidis patrem affert Chironem: Schol. *Il. II*, 14: *Αἰακὸς ὁ Διὸς καὶ Αἰγίνης, γήμας Ἐνδηίδα, τὴν Χείρωνος θυγατέρα, ἔσχε δύο παῖδας, Πηλέα καὶ Τελαμῶνα.* Nec tamen hic diversorum nominum confusionem statuendam esse, recte perspexit Robertus Herm. XX p. 354 Adn. 1. Quippe fuit haec fabulae Thessalicae forma (cuius memoriam servavisse videtur etiam Hyginus fab. XIV). Iam vero cum Aeacidae occupavissent Aeginam et Salamina insulas, Chironis vicem iam obtinuit Sciron.

1) Non plane accuratus Robertus (Herm. XX p. 353), cum ad verba: ‚Praxion hatte Skiron als Stifter des Heiligthums genannt‘ adnotet: ‚*τοῦ συνοικίσαντος Σαλαμῖνα* setzen Suid. Phot. hinzu, wodurch die Identitaet mit *Σκῖρος* von Salamis ausdrücklich bezeugt wird‘. Harpocr. s. v. *Σκῖρον· Καὶ Ἀθηνᾶν δὲ Σκιράδα τιμῶσιν Ἀθηναῖοι, ἣν Φιλόχορος μὲν ἐν δευτέρᾳ Ἀτθίδος ἀπὸ Σκίρου, τινὸς Ἐλευσινίου μάντεως κεκλῆσθαι, Πράξίων δὲ ἐν β Μεγαρικῶν ἀπὸ Σκίρωνος.* Ipsa haec verba transscripsit Suid. s. v. *Σκῖρον.* Expressit praeterea Harpocrationis locum Musurus in ed. Ald. schol Aristoph. Eccles. 18, qui ex alio Suidae loco adiecit: *τοῦ συνοικίσαντος Σαλαμῖνα.* Habent enim Suid. et Photius s. v. *Σκῖρος· οἱ δέ φασιν ἀπὸ Σκίρου τοῦ Ἐλευσινίου μάντεως γενέσθαι τὴν ἐπωνυμίαν ταύτην· ἄλλοι δὲ ἀπὸ Σκίρου τοῦ συνοικίσαντος Σαλαμῖνα.* Sed dubitari vix potest, quin etiam haec ex eodem fonte manaverint, ita ut *οἱ δὲ* respondeat Philochoro, verum *ἄλλοι δὲ* Praxioni. Quod si comprobatur, ex Harpocratione etiam in hos locos Scironis nomen inserendum est. Lollingius (Mitth. I p. 128: ‚Der Megarenser Skiron sendet von Salamis aus dem Athener Theseus die Steuerleute Nausithoos und Phaiax‘) in errorem incidit: cadunt haec in Scirum Salaminium: Plut. Thes. 17.

Skiron oder Skiros König der Insel wie Landschaft ist und bis in jene Zeit wird in der That die Gründung des Heiligthums der Athena Skiras zurückdatirt werden dürfen.' Eadem autem haud scio an valeant de Enyalii illo templo, quem Megaris quoque sacrum habuisse traditum est.[1]) Quae cum ita sint etiam celebrationis, quam ad ipsos hos locos revocat Plutarchus, originem ad eadem illa tempora recedere magnam sane habet probabilitatem. Inveniuntur omnino talium morum ad rem maritimam pertinentium vestigia Salamine in insula.[2])

---

1) Thuc. IV. 67.

2) Inscriptio illa (Ἐφ. Ἀρχ. 1884 p. 169/70) cuius mentionem supra inieci, haud pauca continuisse videtur, quae ad pernoscendas res Salaminias permagni fuerint ponderis. Quapropter valde dolendum est in lapide tam multa iam prorsus evanuisse. Liceat mihi tamen proponere eam partem, quae maxime huc ipsum videatur pertinere:

31. . . . . . *ων ἀνῆκε τῆι πό[λε]ι καθ[ιερω]θὲν π[ρ]ό[τ]ερ[ον ὑπὸ] . . . υ κτίσαντος τὴν νῆσον*

32. . . . . *κεῖτα]ι ἡ ἀρχαία πόλις [ἡ προ]σ ον[ο μ]ασθεῖ[σ]α Κυ[χρεία, τέμεν]ος Αἴαντος, ὃ καθιέρωσε*

33. . . . . . *ν ἐφ οὗ κεῖται τὸ Θ[εμισ]τ[οκ]λέους τ[ρόπαι]ον [κατὰ] Περσῶν καὶ πολυανδρεῖον τῶν*

34. . . *εν οις καὶ προθυ[σ]άμενο[ι ε]ν τῶ[ι]πρὸς Μ[εγαρέας] πρὸ τῆς νήσου πολέ[μ]ωι· κῆπον ἐν Κο-*

Levidenses quas feci litterarum mutationes Lollingii sunt, qui liberalissime inscriptionem mea causa denuo examinavit. v. 34 post M lacuna 2 vel 3 litteris plus flagitat, quam, quod intercalavit Tsuntas, *Μήδους* exhibet. Dubitat editor perperam *Μεγαρέας* vel *Μακεδόνας* supplere, cum Lollingio auctore quae M sequuntur litterae prorsus iam evanuerint. Ipsa inscriptio exeunte aetate liberae rei publicae Romanae non est antiquior. De Themistoclis tropaeo: Paus. I. 36, 1: *Ἐν Σαλαμῖνι δὲ . . . . . τρόπαιον ἕστηκεν ἀπὸ τῆς νίκης, ἣν Θεμιστοκλῆς ὁ Νεοκλέους αἴτιος ἐγένετο γενέσθαι τοῖς Ἕλλησι.* cf. Schol. Aesch. Pers. 301. Hesych. s. v. *Σιληνίαι.* Idem Pausanias etiam Aiacis sacrum Salaminium exhibet (I. 35, 3.) — De reliquis rebus, quae illic commemorantur, perdifficile est iudicare. Ni fallor inter eas et epheborum titulos, in quibus Aeanteorum solemnia describuntur, aliqua intercedit ratio: C. I. A. II, 467: *ἔπλευσαν δὲ καὶ εἰς Σαλαμῖνα τοῖς [Αἰ]αντείοις καὶ ἔθυσαν τῷ Αἴαντι καὶ τἆλλα καθήκοντα ποιήσαντες ἀνεστράφησαν εὐτάκτως, ἐφ᾽ οἷς καὶ ἐτιμήθησαν ὑπὸ τοῦ δήμου τοῦ Σαλαμινίων. προανα-*

Salamis inde ab antiquissimis temporibus loci natura artissime cum rebus nauticis erat nexa. Quid quod ab ipso Sciradii heroe eponymo Theseum olim gubernatores accepisse, testis est Philochorus?[1]) Hinc etiam vetustum illum, qui ad Sciradium celebrabatur, usum illustrandum puto. Postero tempore, cum Salamis insula iam in Atheniensium potestatem esset redacta, ut ipsi heroes Salaminii, ita etiam eorum solemnia ab Atheniensibus recepta sunt.[2]) Cernitur hoc vel in ea celebratione, quae

---

πλεύσαντες δὲ καὶ ἐπὶ τρόπαιον δυσὶ πλοίοις ἔθυσαν τῷ Διὶ τῷ Τροπαίῳ et ibidem 471: εἴς [τε τὰς θυσίας παρεγένοντ]ο καὶ τὰ ἱερὰ τὰ κατὰ τὴν χώραν, ἐν οἷς διετέλουν θύοντες καὶ καλλιεροῦντες ὑπὲρ τοῦ δήμου· πα[ρ]αγενόμενοι δὲ[ἐπὶ τὸ.....πολυ]ανδρεῖον ἐστεφάνωσάν τε καὶ ἐνήγισαν τοῖς κατὰ πόλεμον τελευτήσασιν ὑπ[ὲ]ρ τῆς ἐλευθερίας . . . ἀνέπλευσαν δ[ὲ καὶ] ἐπὶ Τρόπαιον καὶ ἔθυσαν τῷ Διῒ τῷ Τρο[πα]ίῳ.

1) Plut. Thes. 17: Φιλόχορος δὲ παρὰ Σκίρου φησὶν ἐκ Σαλαμῖνος τὸν Θησέα λαβεῖν κυβερνήτην μὲν Ναυσίθοον, πρωρέα δὲ Φαίακα, μηδέπω τότε τῶν Ἀθηναίων προσεχόντων τῇ θαλάσσῃ. Neque obliviscendum, in fabula Salaminia pro Sciri patre haberi Neptunum. Curtii, Wachsmuthii, Lollingii aliorum opiniones, qui antiquissimis temporibus cum multis terrae Atticae locis, tum Salamine in insula populos transmarinos, quos pro Phoenicibus ducunt illi quidem, sedes habuisse existimant, iure Wilamowitzius oppugnavit Kydath. p. 142. Sed quae praeclare de terrae Atticae incolis praedicat hic: ‚Ein ackerbauend Geschlecht wohnt um Athenas Fels, aus der Erde stammt es, stammen seine Koenige; der Sohn der Erde, der Wurm, ist seines Urahns Symbol' perinde valent de Salaminiis. Erichthonio Atheniensi Cychreus plane respondet Salaminius. Nec non Minervae Sciradi cum Phoenicibus ullas intercedere rationes iusto iure negavit Robertus Herm. XX p. 353. Quae Adolphus Holmius (Griech. Gesch. I p. 118) contra hanc opinionem nuperrime protulit admodum lubrica sunt. — Philochorum, qui Σαλαμῖνος κτίσιν conscripsit, in huius insulae res veteriores accuratissime inquisivisse quibus cernitur vel alia exstant vestigia.

2) Ita Scirus in eorum fabulis vates factus est Eleusinius, qui impie ab Atheniensibus interfectus, honores postea apud eos consequitur divinos (Philochorus apud Harpocr. s. v. Σκῖρον. Paus. I. 36, 4). Prorsus eadem sors contigit alii heroi Salaminio Cychreo, quem a Cerere in templum receptum cultuque Eleusinio imbutum (Strab. p. 393) non minus postero tempore sibi vindicant Athenienses (Plut. Thes. 10: καὶ Κυχρέα τιμὰς θεῶν ἔχειν Ἀθήνησι τὸν Σαλαμίνιον). Haec in remota tempora incidunt. Rationes, quae Eurysaci et Philaeo cum Atheniensibus intercedunt, iam cum ipsa Salaminis occupatione cohaerent. Eodem autem tem-

in honorem Aiacis Telamonii Salamine condebatur, cuius caerimoniae sane aliqua ex parte ad illius, quem describit Plutarchus, antiqui moris similitudinem accedere videntur. [1])

Iam vero res est tritissima, in eo saepenumero homines veteres erravisse, quod enarrantes res gestas et ritus, qui ad eas pertinerent, id quod efficitur cum eo, quod efficit, confuderunt. Confirmantur et comprobantur haud raro res gestae fabuloso aliquo usu, quamvis res ipsa demum inventa sit ad originem moris explicandam.[2]) Ac simile quiddam haud scio an acciderit hic quoque. Quid si ex ipso usu, qui inde a profunda

---

pore nescio an etiam Aiacis Telamonii memoria Athenis tantopere coepta sit celebrari. Clisthenis aetate haec res iam omnibus numeris perfecta est. Notatu dignum, etiam Aegeum, Pandionis filium, derivatum esse a Sciro Salaminio: nam apud Apollod. III. 15, 5 (*ἔνιοι δὲ Αἰγέα Σκυρίου εἶναι λέγουσι*) pro depravato *Σκυρίου* restituendum esse *Σκίρου* recte nuper monuisse mihi videtur Robertus Herm. XX p. 354.

1) Plut. Sol. 9. *Ναῦς γάρ τις Ἀττικὴ προσέπλει σιωπῇ τὸ πρῶτον, εἶτα κραυγῇ καὶ ἀλαλαγμῷ προσφερομένων εἷς ἀνὴρ ἔνοπλος ἐξαλλόμενος μετὰ βοῆς ἔθει πρὸς ἄκρον τὸ Σκιράδιον.* C. I. A. II, 470: *ἔπλευσαν καὶ εἰς Σα[λαμῖν]α . . . ἔδραμον δὲ καὶ μακρὸν δ[ρ]όμον ἐξ ἑαυτῶν πρὸς τοὺς ἐν Σαλαμῖνι καὶ ἐνίκησαν.* Volgaris quidem opinio est, Aeantea post bella Persarum demum in memoriam pugnae Salaminiae instituta esse: Mommsenus, Heortol. p. 411. Dittenberger, De epheb. Att. p. 68. Meinholdius l. l. p. 40. Sed qua re haec sententia fulciatur, non video. Aiacis Telamonii cultus in ipsa Salamine certe erat perantiquus. Veterioribus carminibus heroicis quidem Aeacidarum cum Salamine et Aegina rationes necdum innotuerunt: Wilamowitzius Hom. Unt. p. 251. Sed apud Hesiodum iam saepenumero eorum incohatur mentio (Th. 1005. fr. 100. 101. 102. 225 Rzach). Iam vero Athenienses cum Salamina insulam in potestatem suam redigerent, ut Aiacem ipsum, ita nimirum eius solemnia sibi vindicasse, consentaneum est. Quae studia Atheniensium, ad Homeri quoque carmina adspirantia, in Pisistrati fere aetatem incidunt. Verum ipsa ea, quae Aeanteorum et antiqui illius moris, cuius memoriam quamvis laceram servavit Plutarchus, consimilia ac propria sunt, ad multo remotiora tempora revocaverim.

2) Luculenter hoc Robertus (Herm. XX p. 377) in alius fabulae argumento exposuit: ‚Und wir dürfen mit um so grösserer Sicherheit für ein solches Verbrechen im Mythos den entsprechenden Sühnritus im Cultus voraussetzen, als solche Mythen fast ausnahmslos zur Motivirung bestehender Sühngebräuche erfunden werden‘.

antiquitate ad Sciradium celebrabatur, posteriore aetate ab Atheniensibus illa de insulae occupatione narratio confecta et ipsi illi usui quasi materia subiecta est?

Nec vero minus ea, quae de Solonis sacrificiis praemisit Plutarchus, posteriora redolent commenta. Conspirant haec tantopere cum eis, quae de ipsa expugnatione insulae perhibet, ut eum omnium harum rerum notitiam ex communi fonte delibasse maximam habeat veri speciem. Suturae omnino nulla in toto hoc capite comparent vestigia.

Enarrat autem Plutarchus initio capitis 9. Solonem oraculi Delphici iussu nocturno tempore primum Salamina navigasse ibique Periphemo et Cychreo, heroibus Salaminiis, sacra fecisse.[1]) Deinde vero eum ab Atheniensibus quingentos

---

1) De Periphemo aliunde nihil compertum habemus. Cychreus vetustus insulae heros eponymus est. Strab. p. 393: *ἐκαλεῖτο δ' ἑτέροις ὀνόμασι τὸ παλαιὸν (ἡ Σαλαμίς)· καὶ γὰρ Σκιρὰς καὶ Κυχρεία ἀπό τινων ἡρώων.* De eorum cum Eleusine et Attica rationibus supra vidimus. Nec non cum Aegina insula necessitudine coniunctus est Cychreus: quippe Glaucen, filiam eius, in matrimonium ducit Telamon (Diod. IV. 72), ad quem post Cychrei mortem regnum transiisse fertur (Apollod. III. 12. 7. Schol. Lyc. Al. 175). Pherecydes Telamonem adeo Cychrei fecit nepotem (Apoll. III. 12, 6). Ipsius Cychrei imago in fabulis iam admodum est obscurata. Ex vetustissima, quae devenit ad nos, fabulae forma Cychreus anguem (*Κυχρείδης ὄφις*) alit Salamine, quem postmodo ex insula eicit Eurylochus (Hesiod. ap. Strab. p. 393). Quae res apud seriores scriptores iam ita variatur, ut alii Cychreo ipsi Eurylochi munus vindicent (Apollod. III. 12, 7. Schol. Lyc. Al. 451), alii vero Cychreum, quem cum angue aequiparant illiquidem, ab Eurylocho insula deturbatum esse tradant (St. B. s. v. *Κυχρεῖος πάγος*. Eustath. ad Dion. 511). In Et. M. *Ὄφις* rex Salaminius adpellatur, quem interficit Cychreus. Aliter enim me iudice decurtatus hic locus intellegi nequit. At minime dubitandum est, quin proprie Cychreus et anguis ille una et eadem res fuerint, ita ut haec fabula Salaminia plane congruat cum gemella illa Attica. Senserunt id veteres ipsi, cum Cychreum *τὸν διφυῆ Κέκροπα* vocarent. Schol. Lyc. Al. 451. Cychrei mentionem iniecit etiam Euphorion in Hippomedonte: Meineke, Anal. Alex. p. 52. — Nomen *Κυχραίων* etiam III. vel II. a. Chr. s. occurrit Salamine in insula: C. I. G. I, 110.

voluntarios accepisse, δόγματος γενομένου, τούτους, ἂν καταστῶσι τὴν νῆσον, κυρίους εἶναι τοῦ πολιτεύματος [1]).

Udalricus Koehlerus (Mitth. d. Arch. Inst. IX p. 117 sq.) nuper inscriptionem publici iuris fecit, quam cum ipsa hac Salaminis occupatione arte ille vult coniungi. Tituli scriptura proxime accedit ad inscriptionem illam, quam Pisistratus, Hippiae filius, in Pythii ara insculpendam curavit (Thuc. VI. 54. C. I. A. IV, 373). Sed optime fieri potest, ut titulus ille Koehleri hac inscriptione aliquanto fuerit vel antiquior vel recentior. Koehlerus quidem, utpote qui decretum illud ad ipsam Salaminis occupationem revocet, tituli originem nimirum quam potest maxime removet. De inscriptionis argumento ille haec facit verba l. l. p. 118: ‚Die Inschrift enthielt einen Volksbeschluss, der augenscheinlich mit der Besitznahme von Salamis in Verbindung stand. Zu Anfang war die staatsrechtliche Stellung von Bewohnern von Salamis geregelt; daran schlossen sich Bestimmungen über die Verpachtung von in Besitz derselben befindlichen Grundstücken an, für den Fall, dass sie ihren Wohnsitz ausserhalb der Insel aufschlagen würden.‘ Sed vereor, ut mutilata inscriptionis verba etiamnunc ad certam quandam rem gestam possint referri. Atheniensium assignationes Salamine in insula omnino nescio an non fuerint ita rarae. Audimus etiamtum quinto saeculo ineunte illic agrum suppeditasse, quo viros bene de se meritos condonaverunt Athenienses. (Herod. VIII. 11: ἐν ταύτῃ τῇ ναυμαχίῃ Ἀντίδωρος Λήμνιος μοῦνος τῶν σὺν βασιλέϊ Ἑλλήνων ἐόντων αὐτομολέει ἐς τοὺς Ἕλληνας, καὶ οἱ Ἀθηναῖοι διὰ τοῦτο τὸ ἔργον ἔδοσαν αὐτῷ χῶρον ἐν Σαλαμῖνι). Koehlerus in-

1) Horum verborum sane alia ratio esse videtur. Certus numerus, quem exhibet Plutarchus procul dubio ad verum redit testimonium. *Πεντακόσιοι* enim illi *ἐθελονταί* cleruchos nimirum significant Atticos. At dubito, num his cum Solone ulla intercesserit ratio.

scriptionis initium ita restituit: ἔδοξεν τῷ δήμῳ [τοὺς λαχόντας] οἰκεῖν ἐν Σαλαμῖνι [σὺν Ἀθηναίοι]σι τ[ελ]εῖν καὶ στρατ[εύειν sq. Eodem iure autem primo versu nomen unius alicuius hominis (ad quem non est, cur non totum illud pertinuerit decretum) licet suppleri. Nec non σὺν Ἀθηναίοι]σι — id quod sane rectissime reposuisse mihi videtur Koehlerus — male quadrat ad eam, quam is sibi persuasit, sententiam. Quippe sapiunt verba haec potius peregrinum, qui opponitur Atheniensibus. Itaque equidem, etsi Athenienses olim eis, qui in occupanda Salamine maxime praestitissent, agros in ipsa insula decrevisse minime negaverim. tamen valde dubito, num ex hac inscriptione ad ipsam Plutarchi narrationem redundet quidquam.[1])

Ac videamus denique iam de ipso oraculi argumento. Dunckerus G. d. A. VI[5] p. 145 ad comprobandam Plutarchi narrationem praeter usum illum antiquum, ad Sciradium concelebratum, etiam rationes profert, quas inter Solonem et oraculum Delphicum intercessisse tradit Plutarchus. Cui rei historiae fidem nequaquam posse denegari.

At facere nequeo, quin statuam secus. Deus Delphicus Soloni haec fertur respondisse:

Ἀρχηγοὺς χώρας θυσίαις ἥρωας ἐνοίκους
ἵλασο, τοὺς κόλποισιν Ἀσωπιὰς ἀμφικαλύπτει,
οἳ φθίμενοι δέρκονται ἐς ἠέλιον δύνοντα.

Ultimum versum mirum quantum conspirare cum argumentis, quibus Solo coram Lacedaemoniis arbitris usus esse ferebatur, vel primo obtutu adparet. Dicebantur enim Athenienses, ut suo iure se insulam obtinere efficerent, Lacedaemoniis de-

1) Koehleri sententiae assensus est Busoltius Gr. G. I. p. 547. Qui quidem perperam ex narratione Plutarchea (Sol. 9.), quam totam ad superius bellum relegat ipse, quingentos illos voluntarios, quorum ope Solo insula potitus sit, depromit eosdemque cum colonis aequiparat, quos Athenienses altero bello confecto Salamina miserint.

monstravisse, Salaminios non eodem modo, quo Megarenses, sed quo Athenienses sepelire mortuos. Quippe Megarenses corpora mortuorum ita condere, ut eorum oculi in solem orientem essent conversi, Athenienses vero et Salaminios, ut in occidentem spectarent (Sol. 10: θάπτουσι δὲ Μεγαρεῖς πρὸς ἕω τοὺς νεκροὺς στρέφοντες, Ἀθηναῖοι δὲ πρὸς ἑσπέραν). Hanc narrationem mere Atticam fuisse ipse adserit Plutarchus. Non opus est verbis. Pythiam enim triginta fere annis ante (secundum computationem Dunckerianam G. d. A VI^5 p. 246) iam Atheniensium illa argumenta praesagiisse, vix sibi persuadebit quisquam. Oraculi igitur illos versus non minus, quam totam narrationem Plutarcheam postero demum tempore non sine ratione confictos esse contendo.

Possumus iam transire ad recensendam priorem Plutarchi de Salaminis expugnatione narrationem, quam is τὰ δημώδη τῶν λεγομένων esse autumat. Descripserunt eandem rem, paulisper commutatam, praeter eum quattuor auctores: Polyaenus I. 20, § 2, Aeneas IV. 8, Iustinus II. 8, Frontinus Strat. IV. 7, 44. Quorum narrationes in duo genera dividenda sunt. Aeneae, Iustini (Trogi), Frontini relationem antiquiorem, Plutarchi et Polyaeni recentiorem adpellare possumus. Dubitari nequit, quin omnibus his narrationibus una et eadem res subiaceat: Megarenses Atheniensium mulieribus, quae in litore terrae Atticae solemnia agunt, insidias parant. Qua re comperta dux Atheniensium Megarenses ipsos adgressus maximam inter eos edit cladem.

Nec vero desunt, in quibus scriptores inter se differant.[1]) Commemorabilia imprimis haec sunt: in antiquiore traditionis

1) Singulae scriptorum discrepantiae notatae sunt ab Arnoldo Hug, M. Rh. XXXII p. 629.

genere strategema illud Pisistrato duce factum esse perhibetur. Megarenses de feminarum solemnibus certiores facti, ex urbe sua egressi Atheniensium feminas, quae Eleusine Cereri sacra faciunt, adgrediuntur. Qui impetus Pisistrati dolo ad irritum redigitur. — In altero vero genere idem fere facinus vindicatum est Soloni,[1]) qui per transfugam simulatum hostes ipsos in insidias illicit. Megarenses ex Salamine insula profecti ad feminas opprimendas Coliadem vehuntur et hic ab Atheniensibus ad unum occiduntur. Quo facto Salamine insula potitur Solo.

Omnium scriptorum, qui rem commemoraverunt longe antiquissimus est Aeneas Stymphalius.[2]) Apud eum igitur narrationis illius genuina forma quaerenda est. Iam vero cum Aenea mirum quantum consentit Trogus, qui in singulis rebus adeo eadem tradit, ut fieri non possit, quin his partibus artissimo necessitudinis vinculo cum illo conexus sit. Quam quidem narratiunculam a quo mutuatus sit Trogus nescimus. Nam etiamsi in universum quidem demonstratum est,[3]) Trogum in Graecorum rebus describendis Ephorum esse secutum, in unaquaque parte hoc neutiquam tam certo potest adfirmari, quam nuper Begemannus fecit (Quaest. Sol. II p. 11). Neque enim minus in his rebus describendis Theopompum exprimere potuit Trogus. Quamquam equidem in hanc narrationem (etiam proximis locis diligenter inspectis) inquirens manifestum Theopompi vestigium indagare potui nullum. Attamen etsi ex

---

1) Apud Plutarchum Soloni rem gerenti comes adiunctus est Pisistratus.

2) Quem IV. a. Chr. saeculo degisse satis probavit Arnoldus Hug. Aeneas v. Stymph. p. 28 sq.

3) Wolffgartenus, De Ephori et Dinonis histor. a Trogo Pomp. expressis. Bonnae 1868. Eiusdem sententiae vindex exstitit Dunckerus G. d. A. VI[5] p. 245. Compilaveritne Timagenis scrinia Trogus (Gutschmidius M. Rh. XXXVII. p. 548) necne, scrutari in hac causa nihil refert.

ipsis Theopompi reliquiis coniecturam hac de re facere non licet, per se haud parvam habet probabilitatem, Trogum in conscribendis historiis Philippicis praeter Ephorum etiam Theopompi librum, eodem nomine inscriptum, inspexisse. Theopompum autem in excursu huius libri de Pisistrato eiusque filiis egisse constat (Athen. p. 532. Harpocr. s. v. Λύκειον.) Fieri potest, ut Trogi de bello Salaminio narratio ex ipsa illa digressione manaverit. Sed mitto potius quaestionem, quae opinionibus magis quam argumentis disceptari possit.

Hoc tenendum, miri inter Aeneam et Iustinum consensus causam non inde repetendam esse, quod Trogus vel eius auctor ex ipso Aenea hauserit. Nam Aeneam posterioribus rerum scriptoribus paene ignotum mansisse, res est satis explorata. Nisi Polybius, nemo eius facit mentionem.[1]) Quapropter et Trogi et Aeneae narratio ad communem antiquiorem fontem revocanda est, quem ab utroque paene ad verbum exscriptum esse necesse est.

Frontinus in omnibus, quae ad rem pertinent, cum Aenea et Trogo consentit. Quem auctorem ille secutus sit, indagari nec potest neque hac in re attinet, quippe cum eius narratione, in angustum coartata et lacerata illaquidem, quod Aeneas vel Trogus non plenius et enucleatius tradiderint, afferatur nihil.[2])

Iam venio ad alteram relationem. Polyaeni testimonium, utpote quod ex eodem, atque Plutarchi narratio, fonte vel potius ex ipso Plutarcho manaverit, per se nullius esse ponde-

1) A. Hug, Aeneas v. Stymph. p. 12.

2) Veri simillimum mihi videtur, omnes tres narrationes ex eodem fluxisse fonte. Aeneas in strategematis suis componendis maxime scriptos solebat compilare libros, velut persaepe Thucydidis historiam.

ris, supra effecisse mihi videor. Nihil ad rem, si eum omnino praetermittimus.[1]) Unus igitur hac parte restat Plutarchus.

Iam vero si Plutarchi narrationem cum superiore relatione conferimus, gravissimam nimirum discrepantiam ad ducis personam pertinere adparet. Ab hac summa differentia ceterae pendent minores. Velut cum eo, quod Plutarchus militare illud facinus attribuit Soloni, ipsius scilicet Salaminis expugnatio arte cohaeret. In antiquiore relatione huius insulae mentio omnino iniecta est nulla. Ut hic hostes Megaris exisse, ita Athenienses Megarensibus devictis Megara tendisse dicuntur. Non ita Plutarchus. Verbose eius narratio claudit: ὥστε μηδένα διαφυγεῖν, ἀλλὰ πάντας ἀπολέσθαι καὶ τὴν νῆσον ἐπιπλεύσαντας εὐθὺς ἔχειν τοὺς Ἀθηναίους.

Etiam locus, quo solemnia muliebria celebrantur, apud Plutarchum mutatus est. Cum enim apud Aeneam et Trogum Megarenses impetum in Eleusinem faciant, Plutarchus eos in promunturio Coliade ad Halimuntem Atheniensium matronas adgressos esse testis est. Cuius quidem narrationis auctor cur tandem feminarum sacra ex Eleusine transtulerit Halimuntem, nescire me fateor, quoniam Megarenses ex Salamine non minus commode in Eleusinem incursionem facere potuerunt, quam in Coliadem. Fieri potest, ut homo serioris aetatis rerumque Atticarum ignarus in eadem re iam offenderit, in qua haesitat Begemannus, cum haec verba facit Quaest. Sol. II p. 10: „Quod quidem cum Iustinus aliique Eleusine factum esse narrent, in errorem inciderunt, quia feminarum sacra, de quibus

---

1) Admodum dissolute in examinanda fontium auctoritate versatus est Grundnerus, quem omnino fugit, inter singulas has scriptorum narrationes aliquam intercedere rationem. Itaque is et Polyaeni et Aeliani relationes per se ipsas recenset. Prorsus eundem canonem secutus est Iosephus Ionas, De Solone Atheniensi. Monast. 1884 p. 19.

agitur, non Eleusine, sed Halimunte ad Coliadem fieri solita esse Plutarchus et Polyaenus recte docent.

At verbum θεσμοφοριάζειν etiam de aliis mulierum solemnibus ac de solis Thesmophoriis dictum esse constat.[1]) Nec non in Eleusine talia sacra facta esse nunciam constat.[2]). Quocirca non est, cur ob hanc causam Aeneae et Trogi testimonium adspergatur suspicione. Accedit, quod Begemannus, cum in promunturio Coliade Cereris sacra facta esse sumit, summam difficultatem, ad rem ipsam spectantem, narrationi obtrudit. Cum enim hostes ex ipsa urbe Megaris contra Athenienses profectos esse Begemannus ipse cum Aenea et Trogo statuerit, Megarensium quoque impetum non nisi ad Eleusinem potest referre. Megarenses enim, si ex urbe sua praeter oram Atticam usque ad promunturium Coliadem vecti essent, nimis audax et quod vix effici potuit facinus nimirum essent conati. Nec tale iter ab ullo antiquo scriptore usquam descriptum est sed nuperrime demum a recentibus eiusmodi ficta est via.[3])

Ac denique ut id, quod militari illo facinore effectum est, apud Plutarchum amplificatur et adaugetur, ita etiam ducis calliditas quodammodo apud eum elata et cumulata est: invitat Atheniensium dux ipse per transfugam hostes ad mulierum

1) Xenoph. Hellen. V. 2, 29. A. Hug, M. Rh. XXXII p. 629, quem utinam inspexisset Begemannus.

2) Schol. in Lucian. dial. meretr. VII, 4 (edita a Rohdio in M. Rh. XXV p. 528 sq.): *ἐν ταύτῃ καὶ τελετή τις εἰσάγεται γυναικῶν ἐν Ἐλευσῖνι καὶ παιδιαὶ λέγονται πολλαὶ καὶ σκώμματα· μόναι δὲ γυναῖκες εἰσπορευόμεναι* sq. Quamquam pro *Ἐλευσῖνι* an non scribendum sit hic *Ἐλευσινίῳ* dubitari potest. Sed huc certe solemnia ista translata erant ex ipsa Eleusine. Uberiora ad haec sacra pertinentia inveniuntur nunc apud Robertum Herm. XX p. 349 sq. et Rohdium Herm. XXI p. 116 sq.

3) Eundem ac Begemannus errorem committit Danckerus G. d. A. VI[5] p. 244. Busoltius has singulorum scriptorum discrepantias omnino non attingit.

oppressionem. Quo additamento sane res subtilior fit atque id, quod dux ipse in re gerenda praestitit, magis et collustratur et commendatur.

Haec fere sunt quibus differant duo illae relationes. Utra utri sit praeferenda patescit. Ea enim narratione, quam Aeneas et Trogus consentientes prodiderunt, procul dubio satis antiquum testimonium continetur. Contra Plutarchus (vel eius auctor) nihil aliud videtur fecisse, quam idem militare facinus transtulisse ad Solonem, adiunxisse Salaminis expugnationem. Tota eius narratio posterioris et immutationis et confictionis manifesta vestigia ostendit.

Iam vero alia est quaestio, quaenam fides historica tribuenda sit ipsi ei memoriae, cuius purissimam et integerrimam formam conservavit Aeneas. De hac re expressum iudicium difficile est facere. Mulierum ille raptus, quem Megarenses meditantur et quae subsequuntur Pisistrati insidiae, sintne omnino res historiae fide comprobatae ambigi licet. Olet propria narrationis illius indoles, quippe cum ea, quae ad ipsam personam pertinent, tantopere emineant, veteres quasdam vel tabulas gentilicias vel commentarios domesticos vel talia. In his Pisistrati illam ἀριστείαν notatam et celebratam fuisse, non alienum est. Pisistratum quidem bello Megarensi praestitisse Nisaeamque expugnasse res est Herodoti testimonio prorsus confirmata. Hac de re ne levissima quidem dubitatio excitanda. Sed alia iam rei Eleusiniae ratio mihi videtur esse.

Inveniuntur nempe haud ita dissimilium narrationum rudimenta vel alio terrae Atticae loco. Quippe dicuntur Pelasgi, Lemno advecti, mulieres Atticas Braurone Dianae diem festum agentes, secum Lemnum abstulisse ibique pro paelicibus iis usi esse. Herod. VI. 138: εὖ τε ἐξεπιστάμενοι τὰς Ἀθηναίων ὁρτὰς, πεντεκοντήρους κτησάμενοι ἐλόχησαν

Ἀρτέμιδι ἐν Βραυρῶνι ἀγούσας ὁρτὴν τὰς τῶν Ἀθηναίων γυναῖκας, ἐνθεῦτεν δὲ ἁρπάσαντες τούτων πολλὰς οἴχοντο ἀποπλώοντες, καί σφεας ἐς Λῆμνον ἀγαγόντες παλλακὰς εἶχον. Quam narrationem ab Atheniensibus ipsis in confinio VI. et V. saeculi non nisi ad Lemni insulae vindicationem comprobandam Philaidarumque gentis gloriam concelebrandam compositam esse, etiamnunc luculenter demonstrari potest.[1]) Eandem memoriam exhibet Plutarchus de mul. virt. 8. Ipsa haec fabula in Atheniensium annalibus fuit descripta. Cernitur hoc ex Philochori testimonio paulisper iam infuscato: Schol. Ἰλ. A. 594: Φιλόχορός φησι Πελασγοὺς αὐτοὺς (τοὺς Σίντιας) ὄντας οὕτω προσαγορευθῆναι, ἐπεὶ πλεύσαντες εἰς Βραυρῶνα κανηφόρους παρθένους ἥρπασαν. Copiosior de hac re commentator ad Lucian. καταπλ. 1 eundem Philochorum excitans testem: Χρόνῳ δὲ ὕστερον ἀπὸ ταύτης τῆς αἰτίας ἐχθρωδῶς διακείμενοι τοῖς Ἀθηναίοις ὥρμησαν εἰς πλοῖα καὶ κατασχόντες εἰς Βραυρῶνα τῆς Ἀττικῆς, ἥρπασαν παρθένους ἀρκτευομένας τῇ θεῷ ἐν Βραυρωνίοις. Ex hoc igitur testimonio non, sicut apud Herodotum scriptum est, Atheniensium mulieres, sed puellae, decimum aetatis annum nondum egressae, ab hostibus auferuntur.[2]) Recentiorem hanc memoriam cum veteriore illa fabulae forma coagmentavit Plutarchus Qaest. Graec. c. 21: Τυῤῥηνούς φασι τοὺς τὰς Ἀθηναίων θυγατέρας

---

1) Quod satis ex iis adparet, quae in fine huius libri exposita sunt: Herod. VI, 139. 140. Eodem spectat Diod. X. fr. 48 Bekk. Athenienses nimirum rem inde a remotissima antiquitate repetiverunt, ipsorum Argonautarum pronepotes a Pelasgis, qui Braurone Atheniensium mulieres abstulissent, Lemno eiectos esse autumantes: Herod. IV, 145: *τῶν ἐκ τῆς Ἀργοῦς ἐπιβατέων παίδων παῖδες ἐξελαθέντες ὑπὸ Πελασγῶν τῶν ἐκ Βραυρῶνος ληισαμένων τὰς Ἀθηναίων γυναῖκας* sq. Veterum scriptorum testimonia ad Pelasgos pertinentia nuper satis diligenter congessit Brunckius, Quae veteres de Pelasg. tradiderint. Vratisl. 1884.

2) Eandem fabulae formam quam exhibet Philochorus Aristophanes in Lemniis tractavit: Harpocr. s. v. *ἀρκτεύειν*.

καὶ γυναῖκας ἐκ Βραυρῶνος ἁρπάσαντας sq. Ac continetur res haud ita diversa ab hac in fabula illa de Hymenaeo, quae item ad Brauronem revocanda videtur: Hymenaeus, iuvenis Argivus, navi praetervehens oram Atticam, virgines Atheniensium liberat a Pelasgis, qui illas in litore iam oppresserant (Schol. Ἰλ. E, 493. Eustath. ad eund. l.) Quam fabulam etiam a Callimacho in primo Aetiorum libro pertractatam esse suspicatur Schneiderus Callim. II p. 62 sq. qui huc refert eius fr. 230: ἁρμοῖ παρ' Δαναῶν γῆς ἐπὶ βουγενέων. (Et. M. s. v. Ἁρμῷ. Hesych. s. v. βουγενέων). Cum Argis huic fabulae nullae omnino intercedunt rationes.[1])

Ac vel unum huc addendum est. Spectat ni fallor ad Brauronem etiam usus quidam satis commemorabilis ille quidem: traditum est iuvenes Atticos ex Braurone rapere solitos esse puellas publicas. Adnotat enim ad versus Aristophaneos (Pac. 873)

αὕτη θεωρία 'στίν, ἣν ἡμεῖς ποτε
ἐπαίομεν Βραυρῶνάδ' ὑποπεπωκότες

haece scholiasta: ἐν Βραυρῶνι δὲ δήμῳ τῆς Ἀττικῆς πολλαὶ πόρναι· ἐκεῖ δὲ καὶ τὰ Διονύσια ἤγετο, καὶ καθ' ἕκαστον δῆμον, ἐν οἷς ἐμέθυον, μεθύοντες δὲ πολλὰς πόρνας ἥρπαζον. Cuius rei notitiam unde hauserit commentator nescire me fateor. Redeunt autem ad eum quae Suidas habet s. v. Βραυρών.

Omnibus his testimoniis, quamvis passim dispersis, tamen commune quiddam, quo inter se coniungantur, inesse apertum est. Quod si tenemus, quin eodem etiam rem Eleusiniam referamus facere vix poterimus. Recurrit hic idem ille mulierum

---

1) In altera recentiore fabulae conformatione Hymenaeus iuvenis est Atheniensis, qui una cum virginibus sacrificantibus a piratis aufertur: Donat. ad Ter. Ad. V. 7, 6. Proclus apud Phot. p. 320 Bekk. Serv. ad Verg. Aen. I, 651. IV, 99. Ex Servio ut plerumque manaverunt quae scripta sunt apud Mythograph. latin. I p. 26. II p. 148 III, p. 229 Bode.

in litore operantium raptus, tantum quod res ad alium terrae Atticae locum et ad certum hominem revocata est. Res ipsa parum differt. Itaque haud scio an ita multum a vero aberremus, si etiam huius narrationis incunabula Braurone olim collocata fuisse suspicemur. Ex Braurone Pisistratus originem suam repetivit nec non hic familiae eius sedes paternae antiquitus erant sitae. Convenit optime cum his, quod tota ista narratio non nisi ad efferendas Pisistrati artes et virtutes spectat. Eius calliditate efficitur, ut, quem Megarenses meditantur, in mulieres Atticas impetus in Atheniensium commodum vertatur. Quam rem olim in commentariis domesticis illius gentis denotatam fuisse sane verisimile est. Admoneo, in ipso Braurone prorsus gemellam narrationem ad extollendas Philaidarum gentis virtutes esse confictam. Etiam res Eleusinia demum post Pisistrati victoriam illam Megarensem, cuius memoria optime est comprobata, composita esse videtur. Ita facillime fieri potuit, ut res, quae proprie ad Brauronem pertineret, iam illuc transferretur, ubi Pisistratum rem bene gessisse nemo nesciebat. Omnino ipsius huius narrationis mirum quanta fuit infirmitas ac mobilitas: quippe Eleusine idem strategema postero tempore iam ad aliud terrae Atticae litus et ad alius hominis facinora concelebranda translatum est.

Immutatam hanc narrationis formam praebet Plutarchus. Ipsa quidem translatio quo tempore vel quo auctore facta sit nusquam traditum est. Nam praeter τὰ μὲν οὖν δημώδη τῶν λεγομένων τοιαῦτ' ἐστίν de huius memoriae origine Plutarchus patefecit nihil. Nec cui auctori narrationem hanc debuerit ille scimus. De Plutarchi in vita Solonis fontibus sane haud pauca his temporibus conscripta sunt. Solent post Prinzium (De Sol. Plut. font. Bonnae 1867) et Begemannum (Quaest. Sol. I Holtesm. 1875) pleraque in vita Plutarchea ad Hermippum

Callimacheum revocari. Velut Grundnerus maxima Hermippi vitiorum copia verbose enarrata non nisi propter foedissimam huius hominis fidem historicam ipsam hanc de Solone narratiunculam simpliciter abiciendam esse contendit. Eandem rationem vel multi alii temere secuti sunt, Prinzii et Begemanni commentationibus nisi illi quidem.

Procul dubio Hermippi liber περὶ τῶν ἑπτὰ σοφῶν ut ab aliis scriptoribus (Diog. L. et Diod. IX) in enarrandis septem sapientium rebus, ita a Plutarcho in conscribenda hac vita persaepe compilatus est. Attamen unusquisque huius vitae locus per se et pensandus et diiudicandus est. Expressit nempe Plutarchus in hoc opere cum plurimos, tum diversissimos auctores, quos valde dubito, num omnes per solum Hermippum inspexerit.

Prinzius, qui in universum de Solonis Plutarchei fontibus disputavit, Plutarchi capita VIII—X ne extremis quidem attigit digitis, Begemannus vero, ut ipsa haec capita ex Hermippo manasse demonstraret, quae refutatione vix digna sunt protulit.[1])

Equidem satis penitus hanc quaestionem perscrutatus, ex

1) Begemannus, Quaest. Sol. I p. 10 sq. sententiam suam duobus fulcit argumentis. Primum inde, quod Plutarchus elegiae Soloneae certum versuum numerum perhibuerit, Hermippum ab eo exscriptum esse concludit. Nam haec, sicut omnia eiusmodi, quae apud Diogenem inveniantur, ab Hermippo e Callimacho repetita esse. Sed ut omnes paene istos numeros, quos Diogenes in septem sapientium vitis affert, postero demum tempore a Lobone Argivo compositos esse constat (Hillerus, M.Rh.XXXIII, p. 525), ita valde dubito, num apud Plutarchum huius numeri notitia ad Callimachum vel Hermippum liceat revocari. Ac valet idem de epigrammate illo Laertiano (I § 62), quod non inter testimonia debuit referre Busoltius Gr. G. I p. 520. — Altero vero, quod Begemannus protulit, argumento perversius vix potest cogitari quidquam. Nomina enim illa arbitrorum Lacedaemoniorum, quae Plutarchus certe ex optimo fonte petivit, Begemannus artificio quodam inventa esse sumit et cum fictio talis optime ad Hermippi consuetudinem et mores quadret, ipsam hanc Plutarchi narrationem ad eum reicere non dubitat. Cui argumentationi, quod scio, unus adstipulatus est Ionas, De Solone Atheniensi. Monast. 1884 p. 23.

quo auctore Plutarchus narratiunculam illam sumpserit, certo omnino posse evinci negaverim. Memoria illius rei adeo est singularis, ut ad solvendam hanc difficultatem prorsus nulla praebeatur ansa. Itaque in nesciendo opinor acquiescendum est. [1])

Sed quisnam fuit, qui primus strategema illud a Pisistrato transtulit ad Solonem?

Begemannus Quaest. Sol. II p. 11 ut Plutarchum ex ipso Hermippo illas de Solone narrationes hausisse, ita Hermippum eundem primum facinus istud Soloni vindicasse sumpsit. At ipsa Plutarchi verba τὰ μὲν οὖν δημώδη τῶν λεγομένων τοιαῦτ' ἐστί obstant, quominus utrumque factum esse possit. Si Hermippus ipse fuit auctor illius translationis, minime eam hoc modo potuit aut commendare aut comprobare.

Sane ex Hermippi reliquiis adparet, eum non fuisse alienum ab admiratione Solonis. Quid quod Plutarchus, qui et ipse Solonem favore quodam amplexus est, Hermippo immeritam Soloni belli gloriam tribuenti satis dignis argumentis adversatus est. [2]) Attamen hinc ad nostram quaestionem diiudicandam redundat nihil. Immo Onkenius ipsas eas, quibus Pisistratus

---

1) Diogeni, qui in septem sapientium vitis describendis permultis locis certe Hermippi librum περὶ τῶν ἑπτὰ σοφῶν excussit, militaria illa Solonis facinora prorsus ignota sunt. Neque etiam apud Diodorum (IX) quidquam de iis traditum est. Quocirca Wilamowitzio adstipulari nequeo Hom. Unt. p. 251: ‚Die Besetzung von Nisaia kennen wir in der Darstellung der Atthis durch Aeneas von Stymphalos, bei Hermippos (Plutarch und Diodor IX) steht auch das erst in jüngerer Fassung.'

2) Plut. Sol. 11. In hac re Plutarcho ipsi optimi fontes suppeditaverunt, id quod in rebus ad oraculum Delphicum pertinentibus saepius cernitur. Hoc respiciendum fontium Plutarcheorum investigatoribus. Minime enim Ungero adsentior, qui (Phil. Anz. VIII p. 422) ex eo, quod testimonia a Plutarcho hoc loco allata gravissima et dignissima sunt, Plutarchum omnia haec in uno et eodem auctore (cogitat ille de Daemacho Plataeensi) congesta invenisse conclusit.

praedicatur vitae Plutarcheae partes ex Hermippo derivat.[1]) At vereor, ne a vero aberraverit. Quomodo Hermippus de Pisistrato iudicaverit, ex Marcellini vit. Thuc. § 29 optime potest cerni: Ὁ δὲ Ἕρμιππος καὶ ἀπὸ Πεισιστρατιδῶν αὐτὸν λέγει τῶν τυράννων ἕλκειν τὸ γένος, διὸ καὶ διαφθονῶν αὐτόν φησιν ἐν τῇ συγγραφῇ τοῖς περὶ Ἁρμόδιον καὶ Ἀριστογείτονα, λέγοντα ὡς οὐκ ἐγένοντο τυραννοφόνοι· οὐ γὰρ ἐφόνευσαν τὸν τύραννον, ἀλλὰ τὸν ἀδελφὸν τοῦ τυράννου Ἵππαρχον.[2]) Quae nota vix sine consilio ac ratione facta est: adparet, eos qui Pisistratidarum causa scripserint ab Hermippo in suspicionem saltem esse vocatos.[3]) Et profecto, valde dubium est, num ex Hermippi reliquiis omnino de illius translationis origine certi quid possit enucleari. Quin immo huius rei vestigia a multo superioribus temporibus repetenda sunt. Vero propius est totam hanc rem arte cohaerere cum eo, quod Solonis nomen iam inde a V. saeculo magis magisque cum Salamine insula conectebatur et coagmentabatur. Herodotus nihildum habet compertum de ulla ratione, quae inter Solonem et bellum Megarense intercesserit. Apud eum Pisistratus in illo bello strategi munere fungitur. Sed sensim Solonis nomen ut cum ipso bello, ita etiam cum insula coalescit. Quod haud paucis comprobatur exemplis.

Ex ipsis Solonis carminibus Athenas eius patriam fuisse constat (fr. 2 Bergk). Nihilo minus postero tempore cum non

---

1) Staatsl. d. Arist. p. 450. Sed singula eius argumenta misero modo claudicare quivis, opinor, concedet.

2) Ex eodem fonte manaverunt, quae interpres adnotavit ad Thuc. I, 20. Haec argumenta Begemannus Quaest. Sol. II p. 11 debuit arcessere. Quae Müller-Strübing, Aristoph. u. d. hist. Krit. p. 534 hac de re protulit, rectissime redarguit Rankius, Weltgesch. I p. 199.

3) Wilamowitzius Herm. XII p. 339 Hermippum in eo offendisse suspicatur, quod Thucydides (I, 20 et VI, 54 sq.) res Pisistratidarum bis enarravisset.

Athenis; sed Salamine natum esse aperte contenditur.[1]) Quid quod IV. saeculo ineunte iam a Salaminiis Soloni statua in ipsa insula posita est (Demosth. π. παραπρ. 251). Ac vel altius illius fabulae origo repeti potest, qua Solonis cinis per insulam Salamina dispersus esse ferebatur (Cratinus apud Diog. L. I § 62).

Omnes hae fabulae ex Solonis illis versibus, quibus Athenienses ad Salaminis expugnationem incitaverat natae sunt. Hoc rectissime perspexerunt cum alii tum Wilamowitzius Hom. Unt. p. 251: ‚Solon ist lediglich hineingezogen durch die Elegie Salamis, an welche sich schon Anfang des vierten Jahrhunderts ein Sagenkreis angesetzt hatte.' Ita factum est, ut Solo, qui rei publicae temperatione maximam gloriam conquisiverat, postero tempore suae claritatis fulgore Pisistrato tyranno

1) Diod. IX fr. 1 Bekk. Klüberus, Quellen d. Diod. im IX Buch. Würzb. 1868 p. 29 ut pleraque, ita hoc quoque fragmentum revocat ad Ephorum. Quod quo iure fecerit ille non video, cum ad confirmandam suam sententiam nihil attulerit nisi haec: ‚Diodor und seine Quelle, in der wir auch hier Ephoros voraussetzen müssen.' Et profecto, nihil est, quod ad comprobandum Ephori dominium afferatur. Itaque de Klüberi argumentatione cuivis, opinor, licebit dubitare. Prorsus autem eadem apud Diogenem de Solonis origine scripta sunt (I § 45. 46. 62), quae ad Hermippum redire satis probabile est (Begemannus, Quaest. Sol. I, p. 5). Itaque mihi quidem ad fidem pronius videtur esse, plane geminum Diodori testimonium ex eodem fonte delibatum esse. Exhibet Diogenes I § 62 etiam epigramma, quod in statua Solonis incisum fuerit, unde Klüberus confusionis Diodoreae originem repetit: ‚Ephorus, der Schüler des Isocrates, sah gewiss das oben erwähnte Standbild und las seine Inschrift.' Sed quid de omnibus illis versibus iudicandum sit, quos in statuis clarorum virorum inscriptos esse Diogenes perhibet, pluribus demonstravit Hillerus M. Rh. XXXIII p. 525 sq. Quam commentationem si inspexisset Peterseníus, De hist. gent. Att. Slesv. 1880 p. 101 vix ita penitus sibi persuasisset, Solonem contra atque ipse adserit Salamine esse natum. Stettiner, Ad Sol. aet. quaest. crit. Regim. 1885 p. 39 sq. Solonem ideo Salaminium vocatum esse autumat, quia is ἀρχηγέτης coloniae illic conditae fuerit. Idem l. l. p. 42 etiam patrocinium suscepit fabulae Cratinianae. Invenit ille plausorem Busoltium Gr. G. I p. 529.

tenebras obduceret, praesertim cum de neutro illorum temporum memoria certi quid servavisset. Utriusque res gestae et mores posteriore demum aetate — in diversas quidem partes — et restituta et conformata sunt. Quod iam satis antiquis temporibus fieri coeptum est, cum V. et IV. saeculo eorum imagines iam densissima fabularum caligine plane obrutas videamus. Hac aetate etiam ista, quae apud Plutarchum enarrantur, militaria facinora in Solonem translata esse videntur.

Atque habemus etiamnunc testimonium, a recentioribus quidem illud nequaquam recte aestimatum, quod ad eam, quam protuli, sententiam conroborandam aliquid mihi videatur conferre. Plutarchus in Solonis cum Poplicola comparationis c. 4 ut Solonem a Poplicola belli gloria superatum esse ostendat haec facit verba: τῶν μέντοι πολεμικῶν Σόλωνι μὲν οὐδὲ τὰ πρὸς Μεγαρεῖς Δαΐμαχος ὁ Πλαταιεὺς μεμαρτύρηκεν, ὥσπερ ἡμεῖς διεληλύθαμεν. Quae verba quid significent manifestum est.[1]) Nec non qui primi hac de re exposuerunt Odofredus Müller (Dor. I p. 176) et Grotius (II p. 73 Meiss.) quid iis contineretur recte perspexerunt. Attamen Prinzius, cui recentiores omnes se adplicaverunt, haec profert l. l. p. 10: ‚Sed his verbis, ex quibus certi nihil erui potest, Plutarchus fortasse dicere voluit, Daemachum res a Solone in bello Megarensi gestas non commemorare.‘[2]) At Plutarchus si hoc dicere voluit non intellego cur non dixerit. Nam οὐ μαρτυρεῖν τινί τι non significare *non*

1) Offensionem praebent tantum haec: *ὥσπερ ἡμεῖς διεληλύθαμεν*, cum in praecedentibus illius rei omnino nullam mentionem fecerit Plutarchus. Ponendum igitur, aut aliquid in vita intercidisse, aut Plutarcho, quae illic hac de re exposuerat, memoria excidisse. In editione Reiskiana et Didotiana Plutarchi haec verba parum recte translata sunt.

2) Adeo Grundnerus l. l. p. 29 Prinzio concedit, argumentum illud non magni momenti esse. Prorsus autem eodem modo ac Prinzius verba Plutarchea nuper accepit Busoltius Gr. G. I p. 521.

commemorare aliquid nemo negabit. Iam vero praeter rationes grammaticas res ipsa obstat, quominus ita, ut Prinzius voluit, illa verba interpretemur. Cur tandem, quaeso, Plutarchus Daemachum testem excitat? Nimirum ut Solonem a Poplicola rebus bellicis superatum esse demonstret. Hoc luce clarius est. Minime vero id ita potuit probare, ut hunc vel illum rerum scriptorem Solonis res bello gestas non commemorasse ostenderet. Nec praeterea adsequor, cur Plutarchus, si maxime id voluit efficere, Solonis res bello gestas a scriptoribus non esse commemoratas, non alios auctores, quam Daemachum testem haud locupletissimum attulerit? Herodotus nihilo magis ullum Solonis militare facinus commemoravit usquam nec scriptorum numerus, qui id non fecerant, erat rarus. Prinzius praeterea, ut Daemachi testimonium labefactaret, haec iniecit: ‚Neque ita multum lucramur, namque testimonium habemus, quod, unde sumptum sit, nescimus.‘ Non repugno. Nam quo nomine ille liber, quo de Solone Daemachus egit, inscriptus fuerit, certo evinci non potest, sed aliunde satis adparet, hunc scriptorem in rebus ad septem sapientium vitas pertinentibus satis fuisse versatum. Velut Diogenes (I § 30) cum de sapientium illo tripode exponit, Daemachi Plataeensis et Euanthis cuiusdam Milesii discrepantia inter se testimonia adfert.[1]) Itaque licet de ipsius libri nomine non plane constet, disertum tamen illud de Solone testimonium minime idcirco in dubitationem vocandum est.[2]) Iam vero cum

---

1) Haud inepte hoc loco Daemachi nomen restituit Casaubonus. Non dubito, quin Euanthes hic cum eo, quem Hermippus (Plut. Sol. 11) Samium vocat, aequiparandus sit. Etiam hoc loco ab Hermippo Euanthi testimonium tribuitur, quod Daemachum oppugnavisse scimus.

2) Fieri potest, ut Daemachus de his rebus in libro *περὶ εὐσεβείας* egerit (Plut. Lys. 12). De libro *στρατηγικὰ ὑπομνήματα*, quem idem conscripsit (Steph. Byz. s. v. *Λακεδαίμων*), equidem propter Diogenis locum (I § 30) non cogitaverim.

praeter eas, quae in vita Solonis perhibentur, nullae usquam Solonis res bello Megarensi gestae commemoratae sint, Daemachum ipsa ea facinora, quae Soloni vindicavit Plutarchus, ab eo abiudicasse, consentaneum est. Quod si ille facere potuit, sequitur, iam ante III. saeculi initium fuisse, qui Soloni haec facinora vindicarent. Itaque Hermippum Callimacheum demum illius translationis auctorem fuisse omni caret probabilitate.

Aristotelis aetate omnino illi Solonis studio hinc illinc repugnari cernimus. Praeter Daemachum Plataeensem Theophrastus quoque etsi strictim has res attigisse videtur. Accepimus etiam eum aliter, atque ante factum erat, inter ea, quae Soloni quaeque Pisistrato tribuenda essent, disceptasse. Plut. Sol. 31: Ὡς δὲ Θεόφραστος ἱστόρηκε, καὶ τὸν τῆς ἀργίας νόμον οὐ Σόλων ἔθηκεν, ἀλλὰ Πεισίστρατος, ᾧ τήν τε χώραν ἐνεργοτέραν καὶ τὴν πόλιν ἡμεραιοτέραν ἐποίησεν. Impugnat videlicet Theophrastus his verbis testimonium Herodoti, qui eandem legem adscripserat Soloni (II,177). Nec dubito, quin hoc iusto iure fecerit Theophrastus. Concinunt autem haec mirum quantum cum iis, quae Aristoteles in Politicis (V. 9, 4) de usitata tyrannorum consuetudine edisserit. Itaque fieri potest, ut Theophrastus huius rei notitiam praeceptori ipsi debuerit. [1]) Elucet autem hinc, non modo illam, quam bello gerendo paraverit sibi gloriam Solo, sed etiam eam, quam legibus condendis et rei publicae administratione consecutus sit aliqua ex parte aliunde esse assumptam.

Atque quoniam Solonis cum bello Salaminio rationes per-

---

1) Onckenius, Staatsl. d. Aristot. p. 451 hac de re mera miracula somniavit: quippe sumit ille Plutarchum propter incredibilem cum Herodoto discrepantiam non ipso Herodoti libro usum esse, sed epitoma Theopompi. Alioqui enim Plutarchum gravem illam controversiam indicaturum fuisse. Qua ratiocinatione ductus Herodoti historiam periisse postremisque demum Plutarchi vitae annis ex longa oblivione expromptam esse suspicatur. Parco verbis. Nam argumentis refutare rem supersedeo cachinnum moventem.

lustravimus, oculos convertamus ad locum difficillimum, quo ii, qui **bis** Salamina expugnatam esse ponunt, imprimis nituntur. **Plutarchus** (Sol. 12) postquam bellum Salaminium Lacedaemoniorum arbitrio compositum esse narravit, Atheniensibus inter Cylonias perturbationes Salamina et Nisaeam ereptas esse refert: *Ταύταις δὲ ταῖς ταραχαῖς καὶ Μεγαρέων συνεπιθεμένων ἀπέβαλόν τε Νίσαιαν οἱ Ἀθηναῖοι καὶ Σαλαμῖνος ἐξέπεσον αὖθις.* Quod testimonium, cum nulla re contextum, pendet sub limen. Neque enim in praecedentibus ulla **Nisaeae** expugnatio commemorata est, nec quidquam in sequentibus de **Salaminis** recuperatione exstat. Utrumque autem factum esse constat. Praeterea, si proximos locos inspexerimus, Plutarchum in his rebus enarrandis prorsus nulla temporum ratione habita res diversissimas inter se confudisse et permiscuisse adparebit Velut quae subsequitur de **Epimenide** narratio neque cum antecedentibus neque cum insequentibus ullo sententiarum vinculo conligata est. Quid quod ex ipsis cap. 13. verbis perspicue elucet, eum, qui haec scripserit, praemissam de Epimenidis lustratione narrationem prorsus ignorasse.[1]) Movent praeterea haud levem suspicionem quae de **Alcmaeonidarum** damnatione scripta sunt. **Thucydides**, qui accuratissime has res enarravit, de Solone omnino nullam mentionem iniecit (I, 126). Iusto iure ergo **Niesius** l. l. p. 14 res ad posterius Alcmaeonidarum exilium pertinentes a Plutarcho in hanc narrationem intrusas esse coniecit.[2]) Iam vero ex inversa

---

1) Plut. Sol. 13: *Οἱ δ' Ἀθηναῖοι τῆς Κυλωνείου πεπαυμένης ταραχῆς καὶ μεθεστώτων ὥσπερ εἴρηται τῶν ἐναγῶν τὴν παλαιὰν αὖθις στάσιν ὑπὲρ τῆς πολιτείας ἐστασίαζον.*

2) Quamquam **Niesius** mihi minus recte de ea lustratione cogitasse videtur, quam Clisthenis temporibus factam esse refert Thucydides. Immo eodem fere modo, atque apud Plutarchum narratur, in Alcmaeonidas consuluisse accepimus **Pisistratum** (Isocrat. XVI, 25). Quae lustratio statim post eorum fugam suscepta esse videtur, id quod pluribus infra demonstrabitur. Sed tota Plutarchi nar-

hac Plutarchi temporum descriptione etiam illud de Salaminis et Nisaeae iactura testimonium illustrandum est. Athenienses post Lacedaemoniorum arbitrium et Salamina insulam et Nisaeam portum amisisse, res plane inaudita et absurda est. Rectissime igitur Niesius, cum de superiore Plutarchi narratione disputaret, haec adnotavit l. l. p. 23: ‚Freilich erwaehnt Plutarch nachher den Verlust von Salamis. Das rührt nun aber offenbar daher, dass die Anordnung seiner Erzaehlung der Zeitfolge der erzaehlten Begebenheiten nicht entspricht und die Ereignisse, an die diese Notiz vom Verlust von Salamis angeknüpft ist d. h. die Unruhen nach dem Kylonischen Frevel, vor die Erzaehlung von Salamis Eroberung haetten gestellt werden müssen.' Et paullo infra: ‚Salamis wurde erst nach der Gesetzgebung Solons erobert und jene Notiz vom Verluste der Insel gehoert in die Zeit vorher: es ist daher nicht zu verwundern, dass die Erzaehlung von der Wiedereroberung unterbleibt.' Commodissime ille quidem. Attamen hac explicatione res nequaquam confecta est. Nam fac Plutarchum perturbationes Cylonias servato temporum ordine bello Salaminio praemisisse, Nisaeae et Salaminis ista commemoratio haud minorem praebet offensionem. Fingi enim omnino nequit, Athenienses iis temporibus, quibus civitatis opes maxime labefactatas fuisse constat, non modo Salaminem insulam, verum etiam ipsorum Megarorum portum Nisaeam praesidio tenuisse, cum eodem tempore Megarenses Theagene

---

ratio omnino admodum est depravata (velut illa *ἀριστίνδην δικαζόντων* pessime conveniunt cum Myrone Phlyasio). Quamquam in eo non offendendum est, quod in bello Sacro Alcmaeon iam Atheniensium dux adparet (Plut. Sol. 11), cum is hoc magistratu post ol. 46, 3 = 594 demum functus esse possit. — Quae Begemannus, Quaest. Sol. II p. 859, Meinholdius l. l. p. 14, Petersenius l. l. p. 105 de hoc Plutarchi loco exposuerunt adeo et confusa et futilia sunt, ut diluere ea vix operae sit pretium.

tyranno (Thuc. I, 126) viribus et opibus maxime florerent. Hoc sane aliquomodo Niesio explicandum fuit.

Sed iam paullo altius repetam necesse est. Fuit satis inveterata et posteris temporibus penitus insita Atheniensium opinio, Salamina antiquitus cum ipsa terra Attica arte fuisse coniunctam. Cuius opinionis memoria in variarum fabularum ad ipsam hanc necessitudinem spectantium argumentis servata est. Athenienses ipsi quomodo de Salaminis proprietate iudicaverint, ex Pausaniae loco optime cernitur I. 40, 5: ὁμολογοῦσι δὲ καὶ Ἀθηναῖοι χρόνον τινὰ Μεγαρεῦσιν ἀποστῆναι τῆς νήσου. Ex eodem fonte fluxerunt quae scripta sunt apud Aristidem I p. 708 Dind. ἀκούω δὲ καὶ τοὺς προγόνους ἡμῶν τοὺς ἐπ' ἐκείνων τῶν καιρῶν ἀποστῆναι Σαλαμῖνος Μεγαρεῦσι χρόνον ἔστιν ὅν. Nec non argumentis carebant Athenienses, quibus inveteratam hanc proprietatem efficerent. Iam ineunte VI. saeculo huius rei testis acitur Homerus. Apollodorus (apud Strab. p. 394): καί φασι οἱ μὲν Πεισίστρατον οἱ δὲ Σόλωνα παρεγγράψαντα ἐν τῷ νεῶν καταλόγῳ ... μάρτυρι χρήσασθαι τῷ ποιητῇ τοῦ τὴν νῆσον ἐξ ἀρχῆς Ἀθηναίων ὑπάρξαι. Hoc tempore versus illi in Homeri carmina intrusi sunt, ad quos Athenienses coram arbitris Lacedaemoniis provocavisse postero tempore ferebantur. Quae res apud Plutarchum (Sol. 10) tribuitur Soloni: οἱ μὲν οὖν πολλοὶ τῷ Σόλωνι συναγωνίσασθαι λέγουσι τὴν Ὁμήρου δόξαν· ἐμβαλόντα γὰρ αὐτὸν ἔπος εἰς νεῶν κατάλογον ἐπὶ τῆς δίκης ἀναγνῶναι cf. etiam Diog. L. I § 48.[1]) Vindicant sibi praeterea Athenienses veteres heroes Salaminios, quippe qui ab ipsis civitate

---

1) Volgarem hanc opinionem etiam Aristoteles refert in Rhet. I, 15: *οἷον Ἀθηναῖοι Ὁμήρῳ μάρτυρι ἐχρήσαντο περὶ Σαλαμῖνος.* Cuius rei notitiam ex annalibus Atticis ad Aristotelem manasse, dubito num recte statuerit Wilamowitzius Hom. Unt. p. 242 sq. cum Plutarchus (Hermippus?) expressis verbis addiderit haece (Sol. 10): *Αὐτοὶ δ' Ἀθηναῖοι ταῦτα μὲν οἴονται φλυαρίαν εἶναι.*

donati, insulam sibi tradiderint. Plut. Sol. 10: τὸν δὲ Σόλωνά φασιν ἀποδεῖξαι τοῖς δικασταῖς, ὅτι Φιλαῖος καὶ Εὐρυσάκης, Αἴαντος υἱοί, Ἀθήνησι πολιτείας μεταλαβόντες παρέδοσαν τὴν νῆσον αὐτοῖς καὶ κατῴκησαν ὁ μὲν ἐν Βραυρῶνι τῆς Ἀττικῆς, ὁ δὲ ἐν Μελίτῃ.[1]) Aliud argumentum, quod ex vario usu mortuorum condendorum repetivisse perhibebantur Athenienses iam supra commemoravimus.[2])

Omnia haec nihil nisi inanes fabulas esse, postero tempore ab Atheniensibus ipsis excogitatas in aprico est. Cernitur vel optime ex ipsis his argumentationibus Salamina antiquitus non fuisse τῶν νήσων τῶν ὁμολογουμένως τῇ Ἀττικῇ προσχώρων (Strab. p. 395).

Ac statuit ita Apollodorus ipse, cuius iudicium in his rebus certe permagni faciendum est (Strab. p. 395: ἔοικε δὲ τὸ παλαιὸν ἡ νῦν Σαλαμὶς καθ' αὑτὴν τάττεσθαι). Nec magis Herodoto quidquam de fabula illa, Salamina antiquitus Atheniensium fuisse innotuit aut, si innotuit, certe hunc rumorem neglexit ille. Hoc rectissime ex eius loco V, 66: (Κλεισθένης) τῶν Ἴωνος παίδων .... ἀπαλλάξας τὰς ἐπωνυμίας, ἐξευρὼν δὲ ἑτέρων

---

1) Sane mirificum est, necessitudinis huius rationes pertinere ad eum locum, unde oriundus fuit Pisistratus, qui et ipse ab his studiis non alienus fuisse fertur. (Apollodorus ap. Strab. p. 394). — Eodem Herodoti spectat locus VI, 35: *Μιλτιάδης ὁ Κυψέλου, ἐὼν οἰκίης τεθριπποφόρου, τὰ μὲν ἀνέκαθεν ἀπ' Αἰακοῦ τε καὶ Αἰγίνης γεγονώς, τὰ δὲ νεώτερα Ἀθηναῖος, Φιλαίου τοῦ Αἴαντος παιδὸς, γενομένου πρώτου τῆς οἰκίης ταύτης Ἀθηναίου.* Ipsam genealogiam iam paulisper infuscavit Pausanias I 35, 2: *Φίλαιον δὲ τὸν Εὐρυσάκους τοῦ Αἴαντος παραδοῦναι λέγουσιν Ἀθηναίοις τὴν νῆσον, γενόμενον ὑπ' αὐτῶν Ἀθηναῖον.*

2) Eadem atque Plutarchus hac de re exhibet Aelianus v. h. VII, 19: *Ἀρχαίας γὰρ θήκας ἀνοίξας ἀπέδειξε πάντας Ἀθηναίους πρὸς δύσιν κειμένους κατὰ τὸ πάτριον αὐτοῖς ἔθος, τοὺς δὲ Μεγαρέας εἰκῇ καὶ ὡς ἔτυχε τεθαμμένους.* cf. etiam V, 14. Quamquam Hereas Megarensis (Wilamowitzius Comm. gramm. II p. 8) contenderat: *καὶ Μεγαρεῖς πρὸς ἑσπέραν τετραμμένα τὰ σώματα τῶν νεκρῶν τιθέναι.* Dissentit cum Plutarcho (Sol. 10) et Aeliano etiam Diogenes I § 48: *ἀνασκάψας τινὰς τάφους ἔδειξε τοὺς νεκροὺς πρὸς ἀνατολὰς ἐστραμμένους, ὡς ἦν ἔθος θάπτειν Ἀθηναίοις.* Haec fontium investigatoribus respicienda sunt.

ἡρώων ἐπωνυμίας, ἐπιχωρίων πάρεξ Αἴαντος· τοῦτον δὲ ἅτε ἀστυγείτονα καὶ σύμμαχον, ξεῖνον ἐόντα, προσέθετο· conclusit Wilamowitzius Kydath. p. 228, qui Megarenses Salamina insulam umquam eripuisse Atheniensibus, iusto iure primus negavit (Herm. IX p. 323).[1]) Idem autem ex Asclepiadis testimonio effici, haud inlepide idem monuit Wilamowitzius (Herm. XII p. 342). Et profecto, si recta sunt, quae ille de Timodemo quodam refert (Schol. Pind. Nem. II, 19: εἰκός ἐστιν αὐτὸν εἶναι τῶν τὴν Σαλαμῖνα κατακληρουχησάντων Ἀθηναίων) Salamina non antiquitus Atheniensium fuisse necessario hinc cogitur. Iam vero quod gravissimum est, probatur nunciam haec sententia ipsis nummis Salaminiis. Quippe Salamina insulam posteris temporibus semper ius nummos cudendi quasi antiquae libertatis recordationem retinuisse, docta nuper commentatione evicit Koehlerus Mitth. IV p. 250 sq.

Hinc Plutarchi illud de Salaminis amissione testimonium illustrandum est. Salamina Solonis aetate Atheniensium factam esse inter omnes constabat. Iam vero cum insula haec inde ab Aiacis temporibus semper Atheniensium fuisse crederetur aliquando eam ab iis amissam esse nimirum necessarium fuit. Quod quomodo finxerint Athenienses, optime ex Pausaniae testimonio cernitur (I. 40, 5), qui Megarensium narrationi hanc Atheniensium opinionem opponit: ὁμολογοῦσι δὲ καὶ Ἀθηναῖοι χρόνον τινὰ Μεγαρεῦσιν ἀποστῆναι τῆς νήσου, Σόλωνα δὲ ὕστερόν φασιν ἐλεγεῖα ποιήσαντα προτρέψαι σφᾶς, καταστῆναι δὲ ἐπὶ τούτοις ἐς ἀμφισβήτησιν Ἀθηναῖοι, κρατήσαντες δὲ πολέμῳ Σαλαμῖνα αὖθις ἔχειν.[2]) Quid mirum, si haec Salaminis iactura ad ea tempora

1) Ex Herodoti loco VIII, 53 equidem ad hanc rem nihil deduxerim: Wilamowitzius Kydath. p. 108. J. Steup. M. Rh. XXXV p. 640.

2) Eodem redeunt, quae apud Demosthenem scripta sunt π. παραπρ. § 252: ἐκεῖνος (Σόλων) μέν γε ἀφεστηκυίας Σαλαμῖνος Ἀθηναίων καὶ θάνατον ζημίαν ψηφισαμένων, ἄν τις εἴπῃ κομίζεσθαι sq. Non

referebatur, quibus Atheniensium rempublicam internis perturbationibus maxime labefactatam et distractam fuisse constabat. Quod ipsum quam parum considerate factum sit vel inde patescit, quod Athenienses non solum Salamina insulam, verum etiam Nisaeam portum, quem obsidere Pisistrato demum contigit, tum iam amisisse feruntur. Cohaeret hoc quidem aperte cum inversa ac contorta Plutarchi temporum descriptione, qui belli Megarensis narrationem temere praemisit perturbationi Cyloniae. Hoc sane recte vidit Niesius.

Salamini quamdiu libertate frui licuerit temporum illorum memoria nobis occultavit: ex scriptorum testimoniis nihil nisi Solonis aetate insulam Megarensibus subiectam fuisse elucet. De ipsa eorum occupatione nihil usquam traditum est. Quamquam in plerisque recentibus libris legitur, Megarenses paullo post patefactam Cyloniam coniurationem Salamina vi expugnasse. Quae res Theageni tyranno assolet vindicari ipsi.[1]) Attamen caret haec opinio omni fundamento, quippe quae solo Plutarchi illo loco (Sol. 12) nitatur, cui nullam fidem tribuendam esse modo vidimus. Unicum locum qui his tenebris lucem aliquam potuerit obfundere nemo arcessivit adhuc. Exstat testi-

---

mirandum est, oratorem ad hanc memoriam respexisse civibus certe gratam et acceptam.

1) Ita Dunckerus G. d. A. VI[5] p. 98 Salaminis insulae expugnationem secure inter Theagenis res gestas recenset. In eius verba iuraverunt Grundnerus l. l. p. 1, Bohrenius l. l. p. 184, Begemannus Quaest. Sol. II, p. 14, Petersenius l. l. p. 101. Nec magis rerum harum cognitionem nuper promovit Busoltius Gr. G. I p. 499: ‚Der Staatsstreich (des Kylon) schlug fehl, aber bei den innern Wirren, welche in der darauf folgenden Zeit die Stadt erfüllten, wurde die Insel Salamis von den Megariern erobert' et paullo infra p. 500: ‚Dass der Angriff der Megarier zur Zeit der Wirren nach Kylons Staatsstreich erfolgte, berichtet glaubhaft Plut. Solon 12, wo freilich irrthümlich von einem wiederholten Verlust der Insel und Nisaias die Rede ist.' Nituntur haec pravis, quas supra perstrinxi, Niesii ratiocinationibus (Hist. Unt. p. 23).

monium satis grave sed a recentioribus plane neglectum illud quidem. ex quo Salamina insulam olim artissimo necessitudinis vinculo cum Megaride conexam fuisse liquido comparet. Plutarchus Q. Gr. c. 17: Τὸ παλαιὸν ἡ Μεγαρὶς ᾤκεῖτο κατὰ κώμας, εἰς πέντε μέρη νενεμημένων τῶν πολιτῶν· ἐκαλοῦντο δὲ Ἡραεῖς, καὶ Πειραεῖς, καὶ Μεγαρεῖς, καὶ Κυνοσουρεῖς, καὶ Τριποδισκαῖοι. Quattuor partium nomina satis cognita in ipsa reperiuntur terra Megaride, desideratur quinta Κυνοσουρῶν, quos ad notissimam Salaminis paeninsulam referre nullus dubito.[1]) Cuius distributionis origo sane videtur recedere in tempora Theagene tyranno vetustiora (servatur enim in excerptis Plutarcheis, quae fluxerunt ex fonte praenobilissimo, temporum ordo, cf. init. c. 16 et 18). Verisimile est, Salaminiis antiquitus cum Megarensibus eandem rationem atque postero tempore cum Atheniensibus intercessisse: commemorat Megarensium cleruchos Salaminios Pausanias (I. 40, 5).

Insequentibus temporibus acriter inter Athenienses et Mega-

---

1) *Κυνόσουραν* sane solam paeninsulam illam vocatam esse accepimus. Sed optime fieri potest, ut ipsum hoc nomen antiquitus etiam latius patuerit. Vocatur enim vel hodie tota insula Koluri, id quod nihil aliud est, quam *Κολουρίς* (= cauda curta praedita), quo nomine Timocreon apud Plut. Them. 21 adpellat vulpem. Quod nomen nimirum ab eadem illa paeninsula ductum est, quae postero tempore audivit *Κονόσουρα*. Itaque tribum illam hinc potuisse nomen trahere probabilitatem vix videtur excedere. Occurrit autem eiusdem nominis tribus etiam in Lacedaemone. Nec non ipsam Salamina insulam antiquitus caruisse nominibus Pausanias (I. 35, 1) et Strabo (p. 393) expressis verbis testificantur, id quod equidem non magni fecerim momenti, cum talia scriptorum testimonia plerumque ad diversa poetarum epitheta revocanda sint. Oraculi versus quos exhibet Herodotus VIII. 77:

Ἀλλ᾽ ὅταν Ἀρτέμιδος χρυσαόρου ἱερὸν ἀκτὴν
νηυσὶ γεφυρώσωσι καὶ εἰναλίην Κυνόσουραν

ut solent ad paeninsulam ita optime etiam ad totam insulam possunt referri. — Num inter recens insulae nomen Koluri et vocem *κολλύρα* ulla umquam intercesserit ratio valde dubito, cum huius cognationis iustam causam invenire non possim.

renses de insula illa dimicatum esse accepimus. Sed Athenienses frustra sanguinem profuderunt. Sine dubio Megarenses hac aetate Athenienses et vi et opibus longe superabant.[1]) Comparet hoc luculentissime ex praeclara quam nuper Koehlerus conscripsit de Solonis nummorum cudendorum curis disquisitione (Mitth. X p. 154 sq.). Testis Megarensium victoriarum navalium etiam rostrum illud navis Atticae est, quod posteris temporibus Megaris in templo Iovis conservabatur (Paus. I. 40, 4). Ad haec tempora Atheniensium lex revocatur, qua ne ad populum de Salamine expugnanda referretur cavebatur.[2]) Cohaeret cum hac lege tritissima illa de Solonis recitatione narratio.

Quarum rerum, quippe quae a satis certis scriptoribus allatae sint multi ex recentioribus vindices exstiterunt.[3]) At omnes illae narrationes ex ipsis Soloneae elegiae versibus derivatae et confictae sunt. Apud Diogenem, qui absurdissimam illius fabulae formam servavit, hoc ipsum vel clarissime elucet.[4]) Ac laborat etiam elegia ipsa haud parvis difficultatibus, quas copiosius pertractare huius loci non est.[5]) Nec magis

---

1) H. Droysen, Athen u. d. Westen. Berlin 1882 p. 42 Athenienses his temporibus etiam frumentum suum a Megarensibus coemisse probabile fecit.

2) Demosth. *π. παραπρ.* § 252. Philod. de mus. XX, 18. Cic. de off. I. 30, 12. Front. Strat. IV. 7, 44. Polyaen. I, 20. Iustin. II, 7. Plut. Pol. 8. Diog. L. I § 46 alii seriores.

3) Curtius Gr. G. I^5 p. 309. Danckerus G. d. A. VI^5 p. 136. 144. Grundnerus l. l. p. 6. Bohrenius l. l. p. 144. Begemannus Q. Sol. II. p. bsq. Bergk-Hinrichs, Gr. Lit. G. II p. 268. Landwehr, Philol. S. B. V (1884) p. 174. Flach, Gesch. d. gr. Lyr. II, (1884) p. 363. Stettiner, Ad Sol. aet. quaest. crit. Regim. 1885 p. 31. Recte rei fidem aestimaverunt Meinholdius l. l. p. 10 et Busoltius Gr. G. I p. 519.

4) I § 46. Petersenius l. l. p. 102 quidem Diogenis narratione optime rem illustrari credit eiusque testimonium omnibus ceteris praefert.

5) Detexit eas iam ingeniose ut assolet Niebuhrius, Vorl.

istas de Solonis *insania* ineptias, quarum quidem patrocinium qui susciperent non defuerunt, hoc loco recoqui vel argumentis dilui opus est. Hoc tenendum, ipsam Solonis elegiam sub eius vitae finem demum compositam esse, quippe qua cives ad praeclarissimae insulae expugnationem incitaverit. [1])

Solonis legumlatione effectum erat, ut Atheniensium respublica aliqua ex parte et restitueretur et confirmaretur. Recreatis rebus internis externae quoque coeperunt vigere.[2]) Ipsa temporum conditio mutata erat: Megaris Theagene expulso discordias civiles et partium studia splendorem tyrannidis secuta esse a Plutarcho edocemur (Quaest. Gr. 18). Atque ut certe optimus quisque ex Atheniensibus, ita maxime Solo his temporibus quantum Atheniensium interesset Salamina possidere, perspexit[3]). Illud ἴομεν εἰς Σαλαμῖνα μαχησόμενοι περὶ νήσου praeclarissimum et locupletissimum huius rei testimonium exstat.

über alte Gesch. I p. 443. Nonnulla attulit E. de Leutschius Philol. XXXI p. 137 sq. Quibus nuper Stettiner l. l. p. 32 perperam oblocutus est.

1) Parum recte igitur Salaminis elegiae fragmenta in editionibus primum obtinent locum. Non ignoro equidem in his mecum dissentire virum summum Gutschmidium (cf. Flach, Gesch. d. Gr. Lyr. II p. 365 A. 1). In Gutschmidii partes discedit etiam Busoltius Gr. G. I p. 521: ‚Richtig ist es, dass die Eroberung Nisaias und der Lakedaimonische Schiedsspruch erst kurz vor der Tyrannis des Pisistratus erfolgt sein können. Anderseits gehört aber die Eroberung von Salamis unzweifelhaft in die Zeit vor der Gesetzgebung.‘ Quam opinionem nequaquam esse ferendam supra affatim probavisse mihi videor.

2) U. Koehlerus, Mitth. X p. 154. 155. — Quin ea narratione qua Solonem coram Croeso usum esse Herodotus I, 30 refert, res gesta contineatur, non est, cur dubitemus. Ἀστυγείτονες illi, cum quibus Athenienses Elensine congressi esse perhibentur, certe fuerunt Megarenses. Etiam quo tempore id factum sit, aliquomodo Herodoti verbis indicatur (τῆς πόλιος εὖ ἡκούσης). Certiora vero ex abrupto illo testimonio concludere non ausim.

3) Eodem modo Solo civium animos ad occupandam Chersonesum Thraciam incitavit: Diog. L. I § 47.

Tales versus haud parum contulisse ad civium animos inflammandos, satis consentaneum est.[1])

Ipsum bellum quo tempore incohatum sit, certis terminis iam non potest circumscribi. Apud Plutarchum ordo rerum plane inversus est. Occurrit hoc identidem in eius vitis: ut enim gloriam et honores, quos postmodo homines consequuntur aliquomodo et explicet et comprobet, adulescentiam eorum quam potest maxime rebus gestis curat explendam. Qua re haud raro homines docti decepti sunt. Quod etiam hic accidit. Pravus Plutarchi ordo rerum optime ex Pisistrati societate cernitur, qui civium animos maxime ad bellum incitavisse fertur (Sol. 8: μάλιστα δὲ τοῦ Πεισιστράτου τοῖς πολίταις ἐγκελευομένου). Quod expressum testimonium non est, cur in suspicionem vocemus, praesertim cum Pisistrati res hoc bello gestae optime comprobatae sint. Pisistratus vero nequaquam ante Solonis legumlationem bello iam praestitisse potest. Ergo Plutarchi temporum rationes rectae esse neutiquam possunt. Quin immo se ipse prodidisse videtur cum in narratione τοὺς νέους opponeret Soloni utpote seni. Ex Plutarcho igitur ad ipsum belli tempus accuratius determinandum redundat nihil.

Ansam nobis solum praebet Herodoti testimonium I. 59, ex quo edocemur, Pisistratum rebus hoc bello praeclare gestis nisum praesidium illud a populo sibi petiisse, quo inimicorum insidias refelleret. Quapropter harum rerum memoriam non longius ab ipsa Pisistrati tyrannide abfuisse consentaneum est.

---

1) In errorem pellexit homines doctos cum alios multos tum nuper Busoltium versus Soloneus, quem exhibet Diog. L. I § 46: Ἀττικὸς οὗτος ἀνὴρ τῶν Σαλαμιναφετῶν. Nempe concludit hinc ille (Gr. G. I p. 500) Athenienses antea possedisse Salamina. Sed iniuria. Nam ἀφιέναι non solum usurpatur de eo, qui quod adeptus est emittit, sed eodem modo in eum quadrat, qui, cum quod sectatur adipisci non possit, desistit ea de re, velut venator feram ἀφίησι, quam prehendere nequeat.

Bellum Megarense igitur fere eo decennio, quod Pisistrati tyrannidi antecessit, gestum esse, omnes habet probabilitatis numeros.

Nec magis rerum ipsarum hoc bello gestarum integra est memoria. Conspicuae potissimum duae res sunt: Salaminis insulae occupatio et Nisaeae, Megarorum portus, oppressio. Necessarium est, Salamina Athenienses habuisse occupatam, priusquam Nisaeam obsiderent. Qui ordo rerum Iustini II, 7—8 narrationi plane respondet, praeter quem nemo res hoc bello gestas continuata oratione descripsit.[1] Iustinus, postquam Salamina Atheniensium factam esse commemoravit, capite 8. his pergit verbis: ‚Interea Megarenses, memores illati ab Atheniensibus belli et deserti, ne frustra arma movisse viderentur' sq.[2] Subsequitur Pisistrati illud strategema, quod perinde tradiderunt Aeneas et Frontinus, adiungitur Nisaeae occupatio.

Dunckerus G. d. A. VI⁵ p. 145 de Iustini narratione haec verba facit: ‚Iustin II, 7 und 8 hält die That des Solon, die Einnahme von Salamis und die spätere des Pisistratus, die Einnahme von Nisaia in Folge des verunglückten Ueberfalls der Megarenser am Vorgebirge Kolias sehr bestimmt aus einander.' Sed hoc iudicium nulla parte probari potest. Neque enim Iustinus ullo loco Salaminis expugnationem *Solonis facinus* vocat nec quidquam habet compertum de *calamitoso*

1) Per se quidem quem exhibet Iustinus ordinem rerum non nauci fecerim.

2) Quam narrationem nonnulli recentiores cum eo, quod supra attulimus, Plutarchi testimonio (Sol. 12) iunxerunt Iustinumque testem protulerunt, duo bella, temporis spatio inter se diiuncta, cum Megarensibus esse gesta, alterum Solonis, alterum Pisistrati auspiciis. Sed luce clarius est, utrumque scriptorem rem intellexisse toto coelo diversam. Megarensium enim quos commemorat Plutarchus eventus (Salamis et Nisaea recuperatae) minime quadrant ad Iustini narrationem, qui Megarenses, Salamine amissa, ‚ne frustra arma movisse viderentur' bellum continuasse testis est.

Megarensium impetu ad Coliadem facto neque usquam *duas has res gestas certo distinguit.* [1]) Iustini verba: ‚ne frustra arma movisse viderentur' videlicet referenda sunt ad Salaminis amissionem, quam in fine capitis antecedentis commemoraverat ipse: ‚omniumque animos ita cepit (Solo), ut extemplo bellum adversus Megarenses decerneretur insulaque devictis hostibus, Atheniensium fieret.' Descripsit Iustinus nimirum hic deinceps singula momenta unius et eiusdem belli. Comprobatur autem eius narratio etiam Plutarchi testimonio, qui Salamine insula expugnata controversias nondum confectas esse diserte refert Sol. 10: Οὐ μὴν ἀλλὰ τῶν Μεγαρέων ἐπιμενόντων πολλὰ κακὰ καὶ δρῶντες ἐν τῷ πολέμῳ καὶ πάσχοντες ἐποιήσαντο Λακεδαιμονίους διαλλακτὰς καὶ δικαστάς. Fluxerunt ipsa haec ex optimo fonte. Quae subsequuntur iam aliunde petita sunt.

Narrationi Iustinianae adiunctum est strategema illud Pisistrati, quod supra perlustravimus. Cui rei quamvis a plerisque fides historica vindicata sit, cur tamen in restituendis huius belli rebus testimonio isto uti verear illic exposui. Quod quidem sub finem narrationis adiecit Iustinus: ‚Pisistratus paullum a capienda urbe (h. e. Nisaea) abfuit' hoc ad veram memoriam redire minime est quod negetur. At valde dubito, num huic rei cum ipso praecedentis narrationis argumento ulla umquam intercesserit ratio.

Iam vero cum viderimus ea, quae apud Plutarchum (Sol. 9) de Solonis rebus bello Salaminio gestis tradita sunt, posteris demum temporibus composita et conficta esse, qui id omnino fieri potuerit, iure licet quaeri. Permirum enim est, totius belli

1) Begemannus, Quaest. Sol. II p. 10 adverbio *interea* hoc loco id tempus significari putat, quod inter elegiam pronunciatam et insulam expugnatam intercesserit. Quod prorsus insulsum est, cum Salaminis expugnatae iam antea mentio facta sit.

summam, quapropter totiens et tam acriter pugnatum erat, ipsius Salaminis expugnationem, cum certo aliquo nomine tunc temporis non fuisse coniunctam. Sunt ex recentioribus, qui Pisistrato hanc gloriam attribuant.[1]) Sed nemo antiquus scriptor Pisistrato, qui quidem bello Megarensi interfuit multaque in eo praeclara facinora edidit, ipsius insulae expugnationem vindicavit.[2]) Hoc sane respiciendum. Atque Pisistratus cum tyrannidem adfectans res bello praeclare gestas civibus reduceret in memoriam, Salaminis ipsius expugnationem cur, quaeso, pressit silentio? Herodoto sola Nisaeae occupatio innotuit. Quae praeterea praestitit Pisistratus, hoc facinore procul dubio fuere minora neque earum rerum memoriam conservavit ille quidem. Quamquam Begemannus Quaest. Sol. II p. 12 inicit: ‚Praeter alias autem res Nisaeam, Megarensium emporium eum cepisse affirmat (Herodotus), quod unum omnium praeclarissimum arbitratur ita, ut Salaminem ipsam eius opera Atheniensium factam esse, non addiderit.‘ At valde dubito, num ita arbitratus sit Herodotus nec video unde Begemannus hoc resciverit. Qui Salaminis expugnationis mentionem fecit Iustinus (cuius narrationem in hac parte adeo ad fontem Atticum redire demonstrari potest) nihil nisi. *devictis hostibus Sala-*

---

1) Wilamowitzius Hom. Unt. p. 250: ‚Es ist mittlerweile festgestellt, dass Pisistratus die Insel mit des Schwertes Schneide den Megarern, ihren rechtmässigen Besitzern, genommen hat.‘ His verbis nituntur quae Busoltius habet Gr. G. I p. 546 A. 6.

2) Nam quod apud Plutarchum Sol. 8 de Salaminis expugnatione narratur, nihil esse, nisi Pisistrati strategema Eleusinium ad Solonem translatum, apertum est. Nec Niesium id fugisse arbitror. Itaque fingere nequeo, quamnam oppressionem intellexerit ille cum l. l. p. 24 diceret: ‚Mit dieser Ueberrumpelung von Salamis begann ein Krieg gegen Megara, der im weitern Verlauf auch zur Eroberung von Nisaea durch Pisistratus führte.‘ Pisistrati facinus Eleusinium, ut sit res historiae fide comprobata, ad Salamina insulam nequaquam pertinet.

mina Atheniensium factam esse perhibet, nomen profert nullum. Quam rem non commemorarem, nisi prorsus convenirent cum ea, quae Pausanias Athenienses ipsos de Salaminis expugnatione narravisse tradit.[1] Sed ne hic quidem facinus illud vindicatum est cuiquam.

Quae cum ita sint haud scio an testimonio quodam, ab eodem Pausania servato, et res ipsa et mirificum illud Atheniensium silentium aliquomodo illustretur. Pausanias I. 40,5 Atheniensium narrationi hanc Megarensium memoriam opponit: Μεγαρεῖς δὲ παρὰ σφῶν λέγουσιν ἄνδρας φυγάδας, οὓς Δορυκλείους[2]) ὀνομάζουσιν, ἀφικομένους παρὰ τοὺς ἐν Σαλαμῖνι κληρούχους προδοῦναι Σαλαμῖνα Ἀθηναίοις. Ex hac igitur narratione profugi Megarenses Salamina venerunt ad Megarensium agripetas et una cum his insulam Atheniensibus prodiderunt. Quam Megarensium narrationem Pausanias obtendit divulgatae illi Atheniensium opinioni, quippe qui Salamina, quae inde ab antiquissimis temporibus Atheniensium fuisset, aliquamdiu Megarensibus concessam, bello rursus ab ipsis recuperatam esse dictitarint. Sed Atheniensium haec memoria manifesta confictionis vestigia prae se fert. Relinquitur igitur nisi id, quod Megarensibus vindicat Pausanias, iam nullum de ipsa Salaminis occupatione testimonium. Athenienses probabile quidquam, quod

1) Tenendum est Pausaniam hic ipsam Atheniensium memoriam exhibere.

Paus. I. 40, 5.	Iustin. II, 7.
καταστῆναι δὲ ἐπὶ τούτοις εἰς ἀμφισβήτησιν Ἀθηναῖοι κρατήσαντες δὲ πολέμῳ Σαλαμῖνα αὖθις ἔχειν.	ut extemplo bellum adversus Megarenses decerneretur insulaque devictis hostibus Atheniensium fieret.

2) Nomen *Δορύκλειοι* alibi non invenitur. Fieri potest, ut inter eos et quos a Megarensibus *δορυξένους* adpellari Plutarchus Quaest. Gr. c. 17 refert ratio aliqua intercesserit. *Ἐφ. Ἀρχ.* 1884 p. 169 v. 51 commemoratur: *τ]έμενος Ἀθηνᾶς [Λ]αμπτρᾶσι τὸ λεγόμενον Δορύκλειον.*

Megarensium huic narrationi opponerent, tunc habuisse non videntur.

Quamquam ex quo auctore Pausanias Megarensium traditionem exscripserit nescimus. Sed haud scio an ita multum lucraremur, si eius testimonium cum certo aliquo nomine (velut Hereae vel Dieuchidae) sociari liceret. Ipsa narratione prorsus nihil continetur, in quo offendendum sit nec video cur ea, quae Megarenses memoriae prodiderunt, non eodem iure recenseantur, atque Atheniensium ipsorum narrationes. Bohrenius quidem l. l. p. 189 de hac re praedicat: ‚Dagegen ist von gar keinem Gewicht, was Pausanias berichtet, dass die Megarenser erzählten, Verbannte von ihnen seien zu den Kleruchen von Salamis gekommen und hätten den Athenern die Insel verrathen. Denn dass die Megarenser, um ihre Niederlage zu beschönigen, zu einer solchen Ausrede ihre Zuflucht nahmen, ist garnicht zu verwundern.‘ Sed quamnam quaeso cladem Megarenses ficta proditione velarent? Nonne eos ipsos ad id bello semper susperiores discessisse, omnes consentiunt scriptores? An Bohrenius de re Eleusinia cogitavit? Non debuit. Nam Salamine Athenienses prius potitos esse, quam Pisistrati illa facinora ederentur, apertum est. Bohrenium igitur ulla parte Pausaniae testimonium imminuisse nequaquam concedo.

Iam vero si Megarensium illa memoria historiae fide comprobatur, habemus, cur Athenienses res ad ipsam Salaminis occupationem spectantes non evulgaverint. Atque illustratur hinc vel alia res, quae nisi Pausaniae narrationem haberemus, vix posset explicari. Constat totum bellum ita compositum esse, ut quinque Lacedaemonii arbitri constituerentur, qui utrique civitati pacis condiciones dicerent.[1]) Quo arbitrio Atheniensibus

1) Plut. Sol. 10: *Ταύτην τὴν δίκην ἐδίκασαν Σπαρτιατῶν πέντε ἄνδρες, Κριτολαΐδας, Ἀμομφάρετος, Ὑψηχίδας, Ἀναξίλας, Κλεομένης.* De

Salamis adiudicata, Megarensibus Nisaea addicta est. At valde dubito, an Athenienses, quos Nisaeam, Megarensium portum, praesidio tum tenuisse constat, rem Lacedaemoniorum arbitrio permissuri fuerint, si praeterea etiam Salamina insulam vi et armis expugnatam possedissent. Hoc profecto parum est verisimile. Nec video cur omnibus illis argumentis, quae coram arbitris protulisse postero tempore ferebantur Athenienses, opus fuerit, si illos eo iure niti licuisset, quo expugnatores et victores uti assolent. [1])

Quod si omnia haec sincera mente reputamus, facere vix possumus, quin Megarensium memoriae maiorem fidem historicam vindicemus.

Lacedaemonii utriusque populi possessionis fundamentum in posterum tempus iecerunt. Athenienses hoc bello quod voluerunt consecuti sunt: Salamina posthac Atheniensibus, Nisaeam Megarensibus subiectam videmus. Etiam ius nummos cudendi, quod insula semper retinuit, nobis est documento,

---

hac re minime dubitandum est. Singula arbitrorum nomina, quae Plutarchus exhibet, certe ad ipsius foederis tabulas redeunt. Tetigit rem etiam Aelianus v. h. VII, 19.

1) Ratione haud dissimili Salamis insula postmodo a Macedonibus comparata est, cum Athenienses ol. 115, 3 = 318 a Cassandro pugna navali devicti essent. Quo facto Salaminios (Cassandro invitis Atheniensibus insulam suam tradidisse Polyaeni IV. 11, 2 testimonio constat: *Κάσσανδρος ὁμοῦ μὲν ἐπολιόρκει Σαλαμῖνα, ὁμοῦ δὲ καὶ Ἀθηναίοις ἐναυμάχησε. Νικήσας τῇ ναυμαχίᾳ, ὅσους μετ' Ἀθηναίων εἷλε Σαλαμινίους ἄνευ λύτρων ἀφῆκε· πυθόμενοι δὲ οἱ τὴν Σαλαμῖνα οἰκοῦντες προσεχώρησαν Κασσάνδρῳ, πιστεύσαντες αὐτοῦ τῇ φιλανθρωπίᾳ.* Qui quin cleruchi fuerint Attici nemo opinor dubitabit. Quod si recta est haec sententia non modo hoc quod Salaminii Attici ediderunt exemplo, verum etiam pristina illa Megaricorum colonorum defectione infringuntur Kirchhoffiana haece (Abh. d. Berl. Akad. 1873 p. 85): ‚Hier hebe ich zum Schlusse nur noch hervor, dass damit zugleich auch das beschimpfende Vorurtheil beseitigt ist, kraft dessen man geglaubt hat annehmen zu dürfen, dass kleruchische Gemeinden je zuweilen vom Mutterlande abgefallen seien und die Waffen gegen eine Stadt getragen hätten, deren Bürger zu sein sie in Wirklichkeit nie aufgehört hatten.‘

Salamina non vi et armis domitam, sed ex foedere et pacto tum in Atheniensium potestatem redactam esse. Quaenam ratio posthac inter Salamina insulam et Atheniensium rempublicam intercesserit, accuratius exponere huius loci non est. Sufficit hic admonuisse, titulis nunciam certo constare, Salamina quamdiu Atheniensium fuerit, usquequaque eorum cleruchiam fuisse.

Perturbatur quidem, si recta sunt, quae hac quaestiuncula investigare conatus sum, praeclara illa de Solonis expugnatione memoria, quae in recentiorum libris etiamnunc descripta est. Athenienses versibus elegiacis inflammatos, statim Salamina travectos esse Soloneque duce illustrem illam insulam patriae recuperasse, haec opinio, si accuratius veterum scriptorum testimonia excutimus, iam concidat necesse est. Quae pro hac opinione substituimus, minutiora illa quidem sunt et humiliora nec quibus tantum ad extollendas Atheniensium res conferatur.

II.

Ut Nisaeae occupationis ita vel alius praeclarae expugnationis, Pisistrato duce confectae, memoria non nisi Herodoti testimonio devenit ad nos. Narrat enim hic (V, 94) Hippiam Lacedaemone discedentem, quamvis Amyntas, Macedonum rex Anthemuntem Thessalique Iolcum ei obtulissent, Sigeum tamen revertisse, quod Pisistratus bello a Mytilenaeis expugnatum, Hegesistrato, filio suo spurio, tradidisset. Reliquorum scriptorum quicumque bella inter Athenienses et Mytilenaeos gesta memoriae prodiderunt, militare hoc Pisistrati facinus non attigerunt. Unicus testis exstat Herodotus, cuius narrationem cum viri docti ceterorum scriptorum testimoniis accommodare studerent, omnia, quae iis de rebus tradidit ille admodum maledico dente carpserunt. Quae ratio vel a principio falsa mihi videtur esse ac perversa. Nam quamquam ea, quae Herodotus de Pisistrati rebus narravit, in hoc libro non magis, quam in primo ad certos auctores revocari possunt, tamen quin ei in ipsis his rebus enarrandis vel optimi fontes suppeditarint, tantum abest, ut dubitem, ut Herodoti narratione, sicut saepissime, ita etiam in his rebus constituendis vel ipso fundamento nobis utendum esse iudicem.

Quamquam quae nostris temporibus de illis Atheniensium bellis prolata sunt, haud magis sibi constant, quam ipsa veterum

de his rebus testimonia. Homines recentiores cum veterum scriptorum aliis vim facerent, alios prorsus neglegerent, rerum gestarum et temporum illorum cognitionem non tam promoverunt, quam permiscuerunt et conturbaverunt. Quod iam eós, qui testimonia ipsa accuratius examinaverint, non negaturos existimo. Sed quoniam omnia, quae ad illa bella pertinent, artissime inter se cohaerent, nisi cuncta ordine inde ab ipsis initiis repetiverimus, rem ipsam pernoscere vix poterimus. Ita autem ipsas res, quomodo sint gestae, persequentibus nobis, etiam recentiores, quatenus recte, quatenus secus statuerint quam optime patescet.

Vetustissimam Sigei memoriam Demetrius Scepsius servavit. Qui cum explicet, quomodo factum sit, ut de vetere Troianorum urbe nullum iam vestigium supersit, haec facit verba (Strab. p. 599) [1]) οὐδὲν δ' ἴχνος σώζεται τῆς ἀρχαίας πόλεως. εἰκότως· ἅτε γὰρ ἐκπεπορθημένων τῶν κύκλῳ πόλεων οὐ τελέως δὲ κατεσπασμένων, ταύτης δ' ἐκ βάθρων ἀνατετραμμένης, οἱ λίθοι πάντες εἰς τὴν ἐκείνων ἀνάληψιν μετηνέχθησαν· Ἀρχεάνακτα [2]) γοῦν φασι τὸν Μυτιληναῖον ἐκ τῶν ἐκεῖθεν λίθων τὸ Σίγειον τειχίσαι. Cuius rei mentionem unde petiverit ille, quamvis nesciamus,

---

1) Non est dubitandum, quin haec ex Demetrii ad *Τρωικὸν διάκοσμον* commentario exscripta sint. Niesium, cum etiam XII—XIV. Strabonis libros (sicut VIII et X.) ex Apollodori epitoma, non ex Demetrio ipso derivaret (M. Rh. XXXII p. 298) a vero aberrasse, Gaedius (Demetrii Scepsii quae supersunt. Gryph. 1880. p. 1 sq.) demonstravit, qui Demetrii ipsius opus Straboni in his libris subiacuisse, suo iure mihi affirmasse videtur.

2) Pro *Ἀρχαιάνακτα*, quod traditum est in codicibus Strabonianis, scribendum esse *Ἀρχεάνακτα* luculenter ex epigrammate apparet Platonico (Diog. L. III, § 31), in quo perversa illa nominis forma foedissime pugnat cum metro: *Ἀρχαιάνασσαν ἔχω τὴν ἐκ Κολοφῶνος ἑταίραν.* Falsa nominis forma exstinguenda est etiam apud Busoltium Gr. G. I p. 513. — Nisi apud Diodorum (XII, 31), qui *Ἀρχεανακτίδας* regnum Bosporanum obtinuisse refert, nomen illud indagare potui nusquam.

tamen non est, cur ipsam rem in suspicionem vocemus [1]). Neque habemus, quod nobis ad conditionis illius tempus accuratius definiendum ansam praebeat. Nam Archeanax ille Mytilenaeus qui fuerit ut aliunde non constat, ita ne Demetrio quidem ipsi certiora de eo innotuisse ipsa eius verba docent [2]). Quae ille praebet manasse videntur e narrationibus ipsorum Lesbiorum, quorum scriptores coloniarum deductarum memoriam scriptis suis prosecutos esse scimus [3]). Iam vero Mytilenaei quamdiu Sigeum tenuerint, antequam Athenienses iis oppidum illud eripuerunt, nisi vagis et incertis coniecturis erui non potest.

Quae nobis subinde de Sigeo innotuerunt iam ad Atheniensium occupationem pertinent. Quam vindicationem Phrynone duce factam esse, item Strabonis testimonio accepimus p. 599: τοῦτο (Σίγειον) δὲ κατέσχον μὲν Ἀθηναῖοι Φρύνωνα τὸν ὀλυμπιονίκην πέμψαντες, Λεσβίων ἐπιδικαζομένων σχεδόν τι τῆς συμπάσης Τρῳάδος. Ita occupationis tempus vel aliquomodo definiri potest, cum ex Africani indice Phrynonem Atheniensem ol. 36 = 636 a. Chr. Olympio certamine vicisse constet [4]).

---

1) E. Meyerus, Geschichte von Troas. Lpz. 1877, p. 83: „Ihr Führer Archaeanax soll der Ueberlieferung nach dazu Steine von den Mauern Ilions verwandt haben, was unmöglich ist.“ Quod qua re nisus negaverit illa equidem nescio.

2) Admodum copiosus Dunckerus G. d. A. VI[5] p. 134: „(Sigeion) welches einst König Archaeanax von Mytilene erobert, besiedelt und befestigt hatte.“

3) Velut Myrsilus Methymnaeus, cuius haud dissimile de Asso testimonium exstat apud Strab. p. 610. Idem colligo ex Plut. de soll. an. c. 36. Myrsili aetatem exploravit Müllenhoffius D. A. p. 456.

4) Iul. African. s. ol. 36: *Φρύνων Ἀθηναῖος στάδιον. ὃς Πιττακῷ μονομαχῶν ἀνῃρέθη.* Rutgers p. 13 pro *στάδιον* coniecit *παγκράτιον*, quippe cum ex eo, quod Phryno cum Pittaco certamine singulari congressus esset, magis illum corporis robore, quam velocitate insignem fuisse, appareret. Quae quidem ratiocinatio dubito an paullo sit spinosior. Attamen cum apud Diogenem I, § 74 Phryno *παγκρατιαστὴς ὀλυμπιονίκης* audiat, fieri potest, ut rectum viderit illequidem.

Quo tempore mortuus sit ambigitur [1]). Homines recentiores cum in hac quaestione percensenda Suidae potissimum testimonio niterentur, rem non plane mihi videntur expedivisse [2]). Diogenis enim vita Pittaci et breve de eo summarium Suidianum quin ad eundem fontem redeant, dubitari non potest. Quamquam in Diogenis vita multa et pleniora et integriora leguntur, quae apud Suidam non nisi derivata et decurtata exstant forma, ut inde fere colligi possit, Diogenem ipsum Suidae auctori subiacuisse [3]). Narrantur apud utrumque Melanchri tyranni oppressio et singulare Pittaci cum Phrynone certamen eodem ordine, sed apud Diogenem hae res certis temporibus vindicatae non sunt [4]). Temporum

---

1) Praemoneo, hic agi sola de ea re, quonam tempore veteres ipsi Phrynonem occubuisse statuerint.

2) Schoenius Symb. philol. Bonn. p. 747. Rohdius M. Rh. XXXIII. p. 217.

3) Nietzschio (M. Rh. XXIV p. 223) plane me applicare nequeo. Nonnulla in Suidae biographicis luculenter nuper observavit Daubius (N. Jahrb. f. Philol. S. B. XI p. 403 sq.), qui tamen ipsas fontium rationes non tam acriter perspexit quam Flachius (Hesychii Milesii onomat. Lps. 1882 p. 169 Adn. 7).

4) Commemorabile est hoc unum, quod referuntur a Suida duo Pittaci patris nomina: *υἱὸς Καικοῦ καὶ Ὑρραδίου*. Quae verba non esse sana nemo negabit. In verbo *Ὑρραδίου* quidem quomodo corruptela contracta sit, vel nunc potest cerni. Pittaci enim patrem *Ὕρραν* audivisse, grammaticorum testimoniis constat, qui *Ὑρράδιον* significare *Ὕρρα* filium diserte referunt. (Priscian. II p. 65 Hertz: — *αδιος*, quae est Aeolica, ut Hyrradius, Hyrrae filius, Pittacus.) Irrepsit falsa nominis forma in Diogenem ex epigrammate Callimacheo (Diog. L. I, § 80: *Ξεῖνος Ἀταρνείτης τις ἀνείρετο Πιττακὸν οὕτω τὸν Μυτιληναῖον, παῖδα τὸν Ὑρραδίου*) in quo forma *Ὑρραδίου* rectam *Ὑρράδιον* expulerat. Unde corruptelam, quam in epigrammate correxit Schneiderus (Call. I, Exc. p. 405) a satis antiquis temporibus repetendam esse, apparet. E Diogene vel ex eius auctore falsa nominis forma transiit in Suidam, qui quam temere hic auctorem suum exscripserit, vel gemello eius ipsius loco (s. v. *Ὕρρα*) demonstratur, ubi integra nominis forma, e grammatico quodam petita, conservata est. Exstat depravata nominis forma etiamnunc apud Busoltium Gr. G. I p. 514. — Sed laborant etiam cetera Suidae verba. *καὶ* quod traditum est in *ἢ* mutavit iam Menagius ad Diog. I,

descriptiones apud eum omnes infra (§ 79) congestae sunt, ubi et qua olympiade floruerit Pittacus quaque mortem obierit (addito certo olympiadis anno et archonte Atheniensi) definitum est. Quibus de rationibus non est cur dubitemus. Nec Suidae praeter haec quidquam suppeditasse puto. Hinc (ol. 42) qua olympiade natus esset Pittacus (ol. 32) a Suida vel eius auctore effectum esse, satis elucet. Neque aliter de insequenti Suidae terminatione iudicabimus, si eam item ex Diogene (§ 79) petitam esse reputaverimus. Nota omnino sola Pittaci ἀκμή fuisse videtur, quae ol. 42 adscribebatur (Diog. L. I. § 79) [1]. Hinc cetera omnia computata sunt: secundum Pittacum Alcaeus quo cum illum rem habuisse nemo nesciebat, in eandem olympiadem relatus est et, quae cum hoc arte erat coniuncta, Sappho. (Strab. p. 617. Suid. s. v. Σαπφώ.) [2]. Hoc mihi multo veri similius videtur esse, quam id quod Rohdius l. l. p. 217 sumpsit [3],

---

§ 74, id qud iusto iure recepit et Bernhardyus et Bekkerus. At dubitari potest an hac coniectura res absoluta sit. Movet suspicionem vel alterum, quod Suidas affert, Pittaci patris nomen *Καικός*, omnibus ceteris scriptoribus prorsus ignotum. Referunt grammatici Pittacum *Ὑρράδιον* vocatum esse (Bachmann An. I, p. 426: *ἐξ οὗ ὁ Πιττακὸς .. Ὑρράδιος ἐκλήθη*) quod nomen apud Hesychium voce *εἰκαῖος* explicatur. Fieri potest, ut hoc Suidae vel eius auctori confusionis ansam praebuerit, cum hominem hebetem et stultitia Suidiana praeditum ex *υἱὸς Ὑρραδίου* (quod forte aliquis addito *ΕΙΚΑΙΟΥ* explicaverat) fecisse *υἱός Ὑρραδίου ΗΚΑΙΚΟΥ* (qui ordo verborum postea facillime potuit immutari) a probabilitate non abhorreat.

1) Quaenam ipsa ea res fuerit, ex qua Pittaci aetatem definiverunt, extricari iam non potest. Si rectum est, quod apud Suidam legitur, Melanchrum tyrannum ol. 42 a Pittaco esse oppressum, fortasse ipsum hoc Pittaci facinus ansam dedit ad illam terminationem. Sed nimirum huic rei non multum tribuo.

2) Id quod apud Eusebium scriptum est, et Alcaeum et Sapphonem ol. 46, 2 floruisse, ex Sapphonis fuga ductum esse (M. P. ep. 36) satis probavit Schoenius Symb. p. 758 et 759, nec dissentit ab eo Rohdius l. l. p. 218.

3) Rationes Rohdianas nuper recepit etiam Busoltius Gr. G. I p. 513 Adn. 6.

Alcaei aetatem ex singulari Pittaci cum Phrynone certamine esse definitam. Nititur enim haec sententia solo Suidae testimonio, cuius verba *καὶ Φρύνωνα στρατηγὸν Ἀθηναίων πολεμοῦντα ὑπὲρ τοῦ Σιγείου μονομαχῶν ἀπέκτεινε* num omnino ad eam, quae praecedit olympiadem liceat referri, dubitari potest. Accedit autem, quod ipsius huius rei prorsus alius calculus exstat apud Eusebium, quem Rohdius omnino neglexit. Leguntur enim in Armeniaca Eusebii translatione s. a. Abr. 1410 = ol. 43,3 (606 a. Chr.) haece [1]): ‚Pittac Mitilenaeus unus e septem sapientibus cum Phrione Atheniense Olompiaco certamine singulari congressus eum interfecit.‘ Qui computus quam accuratus per se fuerit, etsi nescimus, tamen, cum praeter eum habeamus nihil, eo mihi standum videtur. [2])

Itaque iam duo terminos habemus, intra quos Atheniensium occupationem ex veterum calculis cecidisse necesse est. Certo anno eam adscribere non licet neque is, quem Denckerus G. d. A. VI[5] p. 135 affert, terminus (610) ullo stabilitur argumento [3]). Mihi quidem Atheniensium colonia haud ita sub

---

1) Hieronymi codices, ut assolent, sibi non plane constant; sed non gravissima ista est discrepantia: pertinet non nisi ad singulos ol. 43 annos. Schoenius, cum idem Suidae testimonium in hanc quaestionem inseruerit, nimirum inter ol. 42 et 43 vacillat incertus (Symb. p. 747).

2) Equidem omnino dubitaverim, num ea de re certi aliquid umquam constiterit.

3) Ad eius ‚computationem‘ provocat sine iure Koehlerus, Mitth. IX, p. 123. Assentitur Dunckero etiam Busoltius Gr. G. I p. 513. Quo testimonio nisus Carolus Sittl (Philol. 1885, p. 202 sq.) contra diserta Strabonis verba: p. 599 *Ἀρχεάνακτα γοῦν φασι τὸν Μυτιληναῖον ἐκ τῶν ἐκεῖθεν λίθων τὸ Σίγειον τειχίσαι· τοῦτο δὲ κατέσχον μὲν Ἀθηναῖοι Φρύνωνα τὸν ὀλυμπιονίκην πέμψαντες* Aeolos post Atheniensium demum occupationem Troadem intrasse affirmaverit, me nescire fateor. Auguratur adeo illequidem: ‚Vielleicht hätten sich die Aeoler auch jetzt noch nicht aufgerafft, wenn nicht Pittacus gewesen wäre.‘

ipsum id tempus, ad quod Phrynonis mortem referebant chronographi deducta esse videtur, cum multas pugnas variosque belli casus singulare eius cum Pittaco certamen antecessisse veteres scriptores ipsi retulerint. Certiora ex eorum testimoniis extricari non possunt neque ipsa haec, quae protuli quam ambigua sint ignoro. Quapropter Dunckeri sententiam (G. d. A. VI[5] p. 134), qui Atheniensium deductionem cum Cyloniis perturbationibus vult coniungi, cum de utriusque rei temporibus adeo nihil notum sit, neque probarim nec confutarim [1]).

Refertur apud Herodotum (V. 94) Athenienses vindicationem suam etiam λόγῳ comprobavisse. Demonstrasse enim eos, cum Mytilenaeis agrum Sigeum erepturi essent οὐδὲν μᾶλλον Αἰολεῦσι μετεὸν τῆς Ἰλιάδος χώρης ἢ οὐ καὶ σφίσι καὶ τοῖσι ἄλλοισι, ὅσοι Ἑλλήνων συνεπρήξαντο Μενέλεῳ τὰς Ἑλένης ἁρπαγάς. [3]) Recurrit hic volgarissima Atheniensium consuetudo, quam vel supra in Lemno et Salamine insulis vindicandis perstrinximus. Solent terrarum occupationes et vindicationes comprobari argumentis, quae inde a temporibus heroicis repetita fabularum rationibus illustrantur. Quorum causidicis paene dignorum artificiorum nimirum optimus patronus haberi solet Homerus. Huc spectat notissima illa Atheniensium interpolatio, qua Pisistrati temporibus Salaminis occupationem probaverunt. In hac causa

1) Holmius (Griech. Geschichte. I p. 466) contra Athenienses propter hanc cum Mytilenaeis controversiam Salamina insulam consulto (aus Klugheit) Megarensibus concessisse vaticinatur.

2) Strab. p. 599: Λεσβίων ἐπιδικαζομένων σχεδόν τι τῆς συμπάσης Τρῳάδος· ὧν δὲ καὶ κτίσματά εἰσιν αἱ πλεῖσται τῶν κατοικιῶν, αἱ μὲν συμμένουσαι καὶ νῦν αἱ δ' ἠφανισμέναι.

3) Carolus Sittl (Philol. 1885 p. 203) ipsa haec verba ita interpretatur: ‚Heisst dies etwas anderes, als dass Pittacus erklärte, das Land von Ilion stehe ihm zu, weil seine Gattin von Agamemnon abstamme (Laert. Diog. I, 81) oder überhaupt, weil Nachkommen des Achäerkönigs in Mytilene sich befänden?‘

ad ipsa Homeri carmina non adspirasse videntur. Nemo saltem adhuc eius generis studiorum vestigia in iis detexit. Qui in his Atheniensium fabulis primas agunt, Thesei filii Acamas et Demophon, Homero ignoti sunt. [1]) Apparent ii in Cyclicis demum, quae vocantur, poematis. Ac referuntur quidem omnia, quae ad eos pertinent illorum carminum fragmenta (quantum equidem invenire potui) ad Iliupersidem: ex hoc carmine Lysimachus auctore nullo laudato duo tantum recitat versus, in quibus Thesei filii ab Agamemnone praemiis afficiuntur. [2]) Alter locus apud Pausaniam (X, 25 sq.) exstat, qui (vel potius eius auctor) [3]) Acamantem et Demophontem

---

1) Vidit hoc iam scholiasta ad Soph. Phil. 562: *Θησέως κόροι. Ἀκάμας καὶ Δημοφῶν, ὧν οὐ μέμνηται Ὅμηρος ἐν τῷ καταλόγῳ.*

2) Schol. Eurip. Troad. 31: *μηδὲν εἰληφέναι τοὺς περὶ Ἀκάμαντα καὶ Δημοφῶντα ἐκ τῶν λαφύρων, ἀλλὰ μόνην τὴν Αἴθραν, δι᾽ ἣν καὶ ἀφίκοντο εἰς Ἴλιον Μενεσθέως ἡγουμένου. Λυσίμαχος δὲ τὸν τὴν Πέρσιδα πεποιηκότα φησὶ γράφειν οὕτως·*

Θησείδαις δ᾽ ἔπορεν δῶρα κρείων Ἀγαμέμνων
Ἠδὲ Μενεσθῆι μεγαλήτορι ποιμένι λαῶν.

3) Qua via ac ratione Pausaniae in lescham Delphicam commentarius confectus esset, diserte nuper exposuit Wilamowitzius Homer. Unt. p. 338 sq. De nomine *Λέσχεως*: Robert, Bild und Lied p. 216 et 341. Commoneo Dionysium Scytobrachionem in eis, quae ad Thesei filios pertinent, discessisse ab Iliupersidis poeta et Polygnoto, quos Pausaniae auctor in leschae descriptione expressit:

Dionys. in sch. Eur. Hec. 125.	Pausanias X, 25, 8.
Διονύσιος γοῦν ὁ τὸν κύκλον ποιήσας φησί· Δημοφῶν δὲ ὁ Θησέως, ἐδεῖτο αὐτῶν δοῦναι Αἴθραν, τὴν Πιτθέως, τὴν τοῦ πατρὸς μητέρα, ὅπως αὐτὴν κομίσωσιν οἴκαδε. Μενέλαος δὲ πρὸς Ἑλένην πέμπει Ταλθύβιον κελεύσας ἄγειν Αἴθραν καὶ Ἑλένη δωρησαμένη Αἴθραν παντοδαπῷ κόσμῳ ἀποστέλλει πρὸς Δημοφῶντα καὶ Ἀκάμαντα.	*καὶ ὡς παρ᾽ Ἀγαμέμνονος αἰτῆσαι Δημοφῶν αὐτήν. ὁ δὲ ἐκείνῳ μὲν ἐθέλειν χαρίζεσθαι, ποιήσειν δὲ οὐ πρότερον ἔφη, πρὶν Ἑλένην πεῖσαι. ἀποστείλαντι δὲ αὐτῷ κήρυκα ἔδωκε Ἑλένη τὴν χάριν. ἔοικεν οὖν ὁ Εὐρυβάτης ὁ ἐν τῇ γραφῇ ἀφῖχθαί τε ὡς τὴν Ἑλένην τῆς Αἴθρας ἕνεκα καὶ τὰ ἐντεταλμένα ὑπὸ τοῦ Ἀγαμέμνονος ἀπαγγέλλειν.*

Quare dubito, num Dionysius inter eos auctores referendus sit, quorum scripta doctissimo illi, quo Pausanias usus est, commentario subiacuisse coniecit Wilamowitzius Homer. Unt. p. 345.

in lescha Delphica a Polygnoto descriptos esse referens Λέσχεω Iliupersidem artifici subiacuisse suspicatur: δῆλα οὖν ὡς ἄλλως γε οὐκ ἂν ὁ Πολύγνωτος ἔγραψεν οὕτω τὰ ἕλκη σφίσιν, εἰ μὴ ἐπελέξατο τὴν ποίησιν τοῦ Λέσχεω. Commemorat praeterea Persidem Proclus, qui eam Arctino Milesio vindicans, quomodo Aethra a nepotibus Athenas abducta esset in illo carmine enarratum esse testatur.[1]) Iam vero horum poetarum aetatem si tralaticiis terminis circumscribimus in satis remota tempora devenimus. Velut Arctini carmina circa ipsum olympiadum initium composita esse, ex veterum calculis cogitur. Sed ex cunctis his testimoniis de tempore, quo illae de Acamante et Demophonte fabulae primum promulgatae sint, coniecturam facere iam non licet. ex quo Robertus Bild und Lied p. 222 sq. et Wilamowitzius Hom. Unt. p. 328 sq. volgarem illam de cyclicorum poetarum aetate ac scriptis opinionem si non plane subverterunt attamen haud leniter labefactaverunt. Ac quamvis de singulis etiamnunc ambigi liceat, hoc tamen iam omni dubitatione vacare videtur, quin multifaria illa poematum silva ad certos auctores minime possit referri. Ipsa veterum de his rebus testimonia si perscrutamur, antiquioribus temporibus poetarum ipsorum notitiam invenimus nullam, apparent certi illi auctores certis temporibus adscripti ea demum aetate, quae hominum doctorum studiis iam florebat. Elucet, ad hanc quaestionem diiudicandam, quonam tempore Atheniensium illae fabulae ad Troadis occupationem pertinentes et ortae et divulgatae sint, hinc redundare nihil.

Externa igitur nobis circumspicienda subsidia. Exeunte saeculo VI. Acamantis nomine iam tribus exornatur Attica. V.

---

1) Cod. Marc. 454 Fol. 6. *καὶ τὰ λοιπὰ λάφυρα διανέμονται. Δημοφῶν δὲ καὶ Ἀκάμας Αἴθραν εὑρόντες ἄγουσι μεθ' ἑαυτῶν.* cf. Jahn-Michaelis, Griech. Bilderchron. p. 112.

autem saeculo ineunte Atheniensium de Acamante et Demophonte fabulae iam adeo apud omnes Graecos pervagatae erant ut eae non solum in vasculis Atticis solerent depingi,[1]) verum etiam ab artifice maximo Polygnoto Thasio ad spectatissimum Graeciae locum exornandum adhiberentur. Qui paullo post degerunt, Aeschylus (Eum. 397 sq.) et Herodotus (V. 95). certe ipsas has fabulas cognitas habuerunt nec non eae innotuerunt Hellanico (Schol. Eurip.. Troad. 125). Unde apparet, Persarum bellis vix confectis rem istam iam fuisse tritissimam, quippe quam rerum scriptores (qui solent vocari) enarrarent, canerent poetae, pingerent pictores. Itaque ipsa fabularum principia vel altius repetenda esse, nemo negabit. Iam vero quamdiu Persarum bella Atheniensium civitatem vexabant et occupatam tenebant eius modi fabulis nascendis nullum fuisse locum satis est consentaneum. Flagitat igitur res ipsa, ut quinti sextique saeculi confinia egrediamur.

At iam videamus, possitne ex altera parte aliqui terminus stabiliri. Quamquam hoc vel magis est arduum, cum iam viderimus ea, quae veteres de cyclicorum poetarum temporibus tradiderunt, prorsus ambigua esse et incerta. Ex ipsis igitur historiae fabularis rationibus nobis argumenta quaerenda, quae forte ad hanc quaestionem diiudicandam aliquid possint conferre. Ac profecto, si ipsas rerum conditiones cum fabularum illarum rationibus conferimus, vel per se satis conspicuum fit, fabulas istas ad priscum carminum epicorum genus non potuisse pertinere [2]).

---

1) Overbeck, Bildw. z. theb. u. tr. Heldenkr. p. 632 sq. Robert, Bild und Lied. p. 58. 60. 72. 75. Luckenbach, Verhältniss der griech. Vasenbilder zu d. Gedichten d. ep. Cyclus. N. Jahrb. f. Philol. S. B. XI, p. 574.

2) Wilamowitzius Hom. Unt. p. 363 has Iliupersidis partes satis recentibus temporibus ab Atheniensibus ipsis interpolatas esse coniecit.

Elucent in omnibus his narrationibus tantopere Atheniensium ipsorum consilia ac voluntates, ut ab omni probabilitate abhorreat, fabulas istas iam multo ante fuisse inventas, quam ipsae Atheniensium cum his regionibus rationes intercederent. Atque accedunt alia, quae harum narrationum originem altius repeti vetent. Exstant enim etiamnunc vestigia, ex quibus fabularum harum radices in ipsa terra Attica reconditas fuisse, appareat. Hinc inveterati heroes priscaque locorum nomina in novum illum fabularum campum non sine consilio et ratione translata sunt. Velut in antiquis fabulis Atticis Munichus[1]) quidam occurrit, vetustus Munichiae paeninsulae eponymus, qui elatum illum locum primus occupasse (fuit enim antea mari ab ipsa terra Attica divisus) ibique Dianae cultum constituisse ferebatur[2]). Quo regnante Hellanicus in Atthide sua narrat[3]) Orchomenios, a Thracibus urbe sua expulsos, Athenas venisse et a Municho locum istum colendum accepisse, quem in eius honorem Munichiam appellavissent illiquidem[4]).

---

1) Veram nominis formam restituit Ahrensius M. Rh. XVII p. 362, quam iusto iure recepit Scheerius (Lyc. Al. 498). Municho, Molossorum vati, quem Anton. Lib. Metam 14 commemorat, cum hoc omnino nulla ratio intercessisse videtur. Wilamowitzius Kydath. p. 138.

2) Reliquiae huius fabulae servatae sunt apud Suid. s. v. *Ἔμβαρος*. Apostol. VII, 10. App. Prov. II, 54. Dissentit cum his paulisper Pausanias (apud Eustath. *Ιλ. β* 732) qui templi exstructionem tribuit Embaro.

3) Schol. Dem. *π. στεφ.* 107. Ex eodem fonte manasse Harpocr. s. v. *Μουνυχία*, E. M. s. v. *Μουνυχία* Bekk. An. 279 cognovit Wilamowitzius Kydath. p. 138, qui quidem scholium ipsum prorsus aliter intellexit, atque supra exposui. Locis a Wilamowitzio allatis addo Phot. Lex. 429 Nab.

4) E vasculis Atticis cernitur, Munichum Atticum etiam pugnae contra Amazones interfuisse: Neap. Vasens. Racc. Cum. 239. Hic *ΜΟΝΙΧΟΣ* una cum aliis heroibus Atticis (Theseo, Phalero, Phylaco, Astyocho, Tithra) depictus est. Quamquam Heydemannus fabulae naturam parum recte perspexit, cum p. 885 de Municho diceret: ‚Dieser Horos Eponymos von Munichia war Sohn der Priamide Laodike und des Theseiden Demophon (Plut. Thes. 34)‘.

Munichus ipse in his narrationibus rex est Atticus. Quarum fabularum origo certe a satis priscis temporibus, fortasse inde a septimo saeculo repetenda est [1]).

Iam vero secundaria et recentior fabulae conformatio est, in qua Munichus apparet in Troade et in Thracia. Quod haud ita casu accidisse elucebit, si Athenienses ipsarum harum regionum imperium iam antiquitus affectasse meminerimus. Quippe ut rerum condiciones, ita fabularum rationes commutantur. In his fabulis Munichus nimirum Laodices, regiae virginis Troianae filius est, quem ea ab Acamante, regio filio Attico, conceperit [2]). Hoc sane satis est commemorabile. Troiae puer educatur ab Aethra, Thesei matre, quippe quae eius originem statim agnoverit. Postmodo autem, cum ab Acamante patre, Troia excisa, reduceretur Athenas, anguis morsu in Thracia exstintus est. Munichus ergo in his regionibus primas egisse non potest. Id, quo Athenienses vindicationis ius comprobarunt, etiam hic ad Acamantem translatum est. Ac recurrunt in Thracia eadem atque in Troade: ut Troianorum regia virgo iuvenem Atheniensem amore sibi devinxisse ferebatur, ita in Thracia quoque regis filia Acamantis amore incenditur regnumque paternum dotis instar ei committit [3]). Haec antiquissima

---

1) Audit aput Hellanicum Munichi pater Pantacles. Iam vero in Iulii Africani olympiadum descriptione inter victores Pantacles quidam Atheniensis enumeratur, qui omnium Atheniensium primus illo certamine bis vicerit. Adsignantur eius victoriae ol. 21 et 22 (696 et 692 a. Chr.) Fieri potest, ut inter hunc et Munichi patrem ratio aliqua intercesserit, praesertim cum alterum eiusdem nominis hominem illorum temporum memoria omnino non servaverit.

2) Hegesippus Mecyberneus ap. Parthen. XVI. Lycophr. Al. 495—99. Euphorion in Tzetzis com. ad Lyc. Al. 495.

3) Aeschin. π. παραπρ. 31: *Θησέως παίδων, ὧν Ἀκάμας λέγεται φερνὴν ἐπὶ τῇ γυναικὶ λαβεῖν τὴν χώραν ταύτην.* Tz. Lycophr. Al. 495 *ὁ γὰρ Ἀκάμας ὀλίγαις ναυσὶ προσίσχει Θρᾳξὶ Βισάλταις, καὶ ἐρᾷ τούτου Φυλλὶς. ἡ θυγάτηρ τοῦ ἐκεῖ βασιλέως, καὶ ὁ πατὴρ αὐτὴν ἐγγυᾷ ἐπὶ προικὶ τὴν βασιλείαν.*

huius fabulae forma est, commemorata illaquidem iam ab Aeschine oratore[1]). Iam vero cum is medio fere saeculo quarto narrationem istam inter ἀρχαίους μύθους numeraverit, eius originem vix ad quartum vel quintum saeculum reiciemus. Neque id opus est. Cum enim inter Athenienses et ipsas has circa Strymonis ostium regiones iam multo ante ea tempora rationes intercessisse acceperimus, equidem non video, cur non etiam huius fabulae primordia altius repetamus, praesertim cum ea cum fabula Troiana necessitudinis vinculo arte coniuncta sit. Refert autem Herodotus (I. 64) iam Pisistrato, Atheniensium tyranno ἐπικούρους πολλοὺς καὶ χρημάτων συνόδους ἀπὸ Στρυμόνος ποταμοῦ affluxisse. Herodoto (VII. 113) ipsi ut regionis nomen Φυλλίς notum fuit, ita fabulam etiam ad illam pertinentem innotuisse puto.

Iam vero ut Acamas, ita Demophon quoque, alter ex Thesei filiis, veteribus carminibus heroicis prorsus ignotus est. Recentiore aetate etiam hunc ab ipsis Atheniensibus in fabulas Troianas insertum esse, satis conspicuum est. Propria Demophontis origo ex Eleusine repetenda. Habemus priscam fa-

---

1) Non (ut Rohdius G. R. p. 38 exposuit) Acamas et Demophon in his fabulis temere inter se solent confundi, sed satis perspicue demonstrari potest, antea unum Acamantem in his fabellis dominatum esse, postea demum — ut videtur per poetas Alexandrinos — Demophontem in totum illum fabularum gyrum irrepsisse. Quae posteriores scriptores de Demophontis et Phyllidis amore narraverunt ad Callimachi Aetia redire Rohdius l. l. p. 474 rectissime perspexit enucleatiusque post eum demonstravit Knaackius (Anal. Alex. Rom. p. 29 sq.). Ex eadem hac translatione sine dubio explicandum, quod apud seriores scriptores etiam Laodicen cum Demophonte rem habuisse scriptum est (Plut. Thes. 34). Aeschinis commentatori recentior haec fabulae conformatio sola innotuit itaque factum, ut scriptorem suum cum castigaret, ipse aberraret a vero. Quod adicit scholiasta (p. 49 Dind.) Demophonti ex Phyllide Acamantem et Amphipolin filios esse natos, id iam ad Hagnonis deductionem pertinere videtur, cum hic veteris loci nomen *Ἐννέα ὁδοί* in Amphipolin mutasse feratur: Schol. Aeschin. p. 48 Dind. Polyaen. VI. 53.

bulam Atticam, in qua Demophon Celei, vetusti regis Eleusinii, filius est. ab ipsa Cerere educatus ac fotus[1]). Haec septimo saeculo recentiora esse nequeunt [2]). Iam vero cum Athenienses orae Troianae oculos suos adicerent illamque regionem sibi vindicarent, tum etiam prisci heroes domestici, ut vindicationis ius comprobaretur, illuc migrasse videntur. Cuius translationis rationes quam arte cum ipsa hac occupatione cohaeserint, versibus Aeschyleis (Eum. 397 sq.) luculenter illustratur [3]). Facit enim poeta Athenam ipsam a Scamandro redeuntem, ubi principes Achaeorum Thesei filiis agrum assignaverint, in omne posterum tempus colendum:

πρόσωθεν ἐξήκουσα κληδόνος βοὴν
ἀπὸ Σκαμάνδρου γῆν καταφθατουμένη,
ἣν δῆτ' Ἀχαιῶν ἄκτορές τε καὶ πρόμοι,
τῶν αἰχμαλώτων χρημάτων λάχος μέγα,
ἔνειμαν αὐτόπρεμνον ἐς τὸ πᾶν ἐμοί,
ἐξαίρετον δώρημα Θησέως τόκοις.

Concinunt prorsus cum his, quos Lysimachus affert, Iliupersidis versus. Atque ut vetus Aeschyli scholiasta, ut poetae verba explicaret, rectissime ad istas inter Athenienses et Mytilenaeos de Sigeo controversias provocavit [4]), ita non dubito,

1) Hymn. in Cer. 234. 248.

2) De hymni aetate satis prudenter egit C. Francke, De hymni in Cererem compos. Kiel 1881, p. 25 et 27. cf. etiam Wilamowitzium Kydath. p. 124 et 125. Homer. Unters. p. 363 et Busoltium Gr. G. I p. 17 et 379 Adn. 1.

3) Ut Aeschylus, ita etiam Sophocles (Philoct. 562) et Euripides (Hec. 123. Troad. 30. — Hippol. 761 ad Munichum spectat: Wilamowitzius Kydath. p. 137) istas de Acamante et Demophonte fabulas perstrinxerunt.

4) Iam vero ea, quae homo historiae imperitissimus de suo adiecit: *ἔοικεν οὖν παρορμᾶν Ἀθηναίους ὁ Αἰσχύλος εἰς τὸ ἀντέχεσθαι πάλιν Σιγείου, λέγων τὴν θεὸν ἐκεῖθεν ἐληλυθέναι*, cum ex tributorum laterculis (C. I. A. I, 229) Sigeum medio fere saeculo V. in Atheniensium dicione fuisse appareat, a vero plane abhorrent. Neque id

quin ad easdem fabulas spectaverit Herodotus (V. 94), cum Athenienses oram illam contra Mytilenaeos defendentes ad fabularis historiae argumenta confugisse expressis verbis testificaretur.

Quamquam cum ipsa coloniarum Atticarum historia Demophon non tam arte consociatus fuit, quam frater eius Acamas: cuius memoria cum in ipsa terra Attica praeclaro illo Clisthenis opere in omne posterum tempus perdurarit, tum in iis quoque fabulis, quae ad externas vindicationes pertinebant, primas semper occupasse videtur Acamas. Spectat huc, quod nuper inventum est, scholium Euripideum, in quo Dionysii Chalcidensis quoddam satis commemorabile de Acamante testimonium servatum est[1]). Narrat ille Acamantem assumptis Ascanio et Scamandrio, Aeneae et Hectoris filiis, per totam fere regionem Troianam usque ad Ascanium lacum colonias collocasse. Cui fabulae quae ratio insit patet neque a vero aberravit qui scholium edidit Schwartzius, cum inde coniceret narrationis originem in ea tempora referendam esse, quibus Athenienses et Mytilenaei de ipsis illis regionibus decertarent.

Omnino priscae Atheniensium cum his regionibus necessi-

---

inest in verbis Aeschyleis ipsis. Quae apud Thucydidem III, 50. IV, 52. 75 de ora Troiana scripta sunt, ad seriora tempora pertinent.

1) Mél. Graux p. 652: *Διονύσιος δὲ ὁ Χαλκιδεὺς τὸν Ἀκάμαντα παρὰ Ἑλένου καὶ Ἀγχίσου φησὶ διὰ τὴν πρὸς Λαοδίκην οἰκειότητα Σκαμάνδριον τὸν Ἕκτορος εἰληφότα καὶ Ἀσκάνιον τὸν Αἰνείου, ἐπιχειρῆσαι μὲν Ἴλιον καὶ Δάρδανον τειχίζειν. τῶν δὲ Ἀθηναίων αὐτὸν παραιτησαμένων, τηνικαῦτα τῆς ἐπιβολῆς* (Mendelssohn. *ἐπιβουλῆς* O et Schw.) *ἀποστάντα τῆς Τρωάδος Γέργιθα* (Wilamowitzius. *γῆς † τίνα:* O et Schw.) *καὶ Περκώτην καὶ Κολωνὰς καὶ Χρύσην καὶ Ὀφρύνιον καὶ Σιδήνην* (Wilamowitzius. *Σίγην*: Schw. *σίδην*: O) *καὶ Ἄστυρα καὶ Σκῆψιν καὶ Βέσβικον* (conieci pro *βεόληνον*: Schw. et O) *καὶ πρὸς τούτοις Δασκύλιον καὶ Ἰλίου Κολώνην καὶ Ἀρίσβαν οἰκίσαντα ἀναγορεῦσαι κτιστὰς Σκαμάνδριον καὶ Ἀσκάνιον.* De Arisba oppido eadem fere tradit Steph. Byz. s. v. *Ἀρίσβα: πόλις τῆς Τρωάδος. Μυτιληναίων ἄποικος, ἧς οἰκισταὶ Σκαμάνδριος καὶ Ἀσκάνιος, υἱὸς Αἰνείου.* Atheniensium cum his regionibus rationum testis est etiam titulus Atticus VI. saec. in margine lecythi incisus ex vico Erenkioei (antiqua urbe Ophrynio) oriundae: I. G. A. 2.

tudines multo latius patuisse videntur, quam nobis nunc ex parvulis et abruptis fabularum frustis divinare licet. Quarum narrationum quinto saeculo multo uberiorem copiam divulgatam fuisse, vel inde cernitur, quod apud illius temporis scriptores haud raro commemorantur fabularum argumenta, quarum ad nos ne minima quidem devenit umbra. Ita aliam quoque septentrionalium harum regionum partem haud dissimili studio prosecutos esse Athenienses ex ipsis fabularum reliquiis suspicari possumus. Notum est Athenienses, ut ad Scamandri et Strymonis ostia, ita in Chersoneso quoque Thracia sexto saeculo agrum sibi vindicasse. Quod olim suaserat Atheniensibus Solo [1]), Pisistrati aetate effectum est: Miltiades, Stesagorae filius, oram istam Atheniensium imperio subiunxit coloniamque civium illuc deduxit (Her. VI. 36). Quod initio Pisistrati imperii factum videtur. Coniungitur vero in Atheniensium fabulis etiam cum his regionibus Thesei filiorum memoria. Quid, si iam multo ante Stesagorae illum filium iisdem regionibus munere haud dissimili functus erat Acamas? Cuius rei memoria, quamvis parca et obtruncata, servata est apud Thucydidem, qui partem agminis Graecorum, cum ceteri Troiam obsiderent, in Chersonesum Thraciam se ad agriculturam convertisse testis est. Thucydidis commentatori etiamtum ipsa fabula nota erat: eius verbis edocemur expeditioni illi praefuisse Acamantem et Antimachum [2]). Apud Homerum quidem de ea re invenitur ni-

---

1) Diog. L. I, 47: *Ἔπεισε δὲ αὐτοὺς καὶ τὴν ἐν Θράκῃ Χεῤῥόνησον προσκτήσασθαι.*

2) Thuc. I, 11: *Φαίνονται δ᾽ οὐδ᾽ ἐνταῦθα πάσῃ τῇ δυνάμει χρησάμενοι, ἀλλὰ πρὸς γεωργίαν τῆς Χερσονήσου τραπόμενοι καὶ λῃστείαν τῆς τροφῆς ἀπορίᾳ.* Adnotat ad haec scholiasta: *ὧν ἡγεῖτο Ἀκάμας καὶ Ἀντίμαχος.* Ita codices. In editione Schoeniana (Berl. 1874) pro Antimacho *Ἀντίλοχος* scriptum est. Sed Schoenius cum scholia Thucydidea ex editione Haasii Didotiana exscripisset, qui et ipse illa ex Popponis exemplari expressit (Dübnerus Epil. p. 135)

hil[1]). Suppeditabant Thucydidi sine dubio fabulae, Homeri temporibus recentiores, ex quibus expeditionis illius cognitionem perceperit. Haec fere adicienda duxi eis, quae supra de Acamantis et Demophontis cum Troade rationibus exposita sunt. Apparet hinc, ἐξαίρετα illa δῶρα, quae Athena Θησέως τόκοις impertiri voluit, non pertinuisse ad solam terram Troianam.

Quamquam relinquuntur haud pauca in fabulis Troianis, satis commemorabilia eaquidem et quae iis, quae nobis servata sunt, litterarum monumentis vix possunt illustrari. Sine dubio mirum est, si in ipsis veteribus carminibus heroicis varia et

---

factum est, ut temeraria et quae nullo fulcitur argumento Popponis (III. 1, p. 123) coniectura in contextum irrepserit. Quamquam Schoenius nonnullas, quas in Laurentiano invenit, adnotationes editioni suae adiecit, sed qua est codex ille scholiorum penuria, etiam haec de Thracia Acamantis expeditione in eo desiderari, ipse mihi monstravit Schoenius. Sauppii quidem emendationi (Philol. XIX. p. 147) κατ' Ἀντίμαχον ut subscribam, impetrare a me non possum, quamvis subscriptorem ille invenerit Classenium. Nam Antimachum fabulis Atticis aliunde ignotum esse etsi concesserim, tamen ea, quae Sauppius ad coniecturam suam commendandam attulit, debiliora mihi videntur esse, quam ut in codicum scriptura quidquam immutemus. Neque arridet, quod Sauppius de Phyllidis amore fabellam huic narrationi immiscuit, cum fabula ista minime ad Chersonesum Thraciam, sed non nisi ad ipsam terram Phyllidem pertineat. (Her. VII. 113. Steph. Byz. s. v. Φυλλίς). Iam vero in rebus tanta obscuritate obrutis a codicum scriptura stare rectissimum est. Apud Quint. Sm. XII, 323 inter Graecorum duces, qui equum ligneum intraverint, praeter Acamantem et Demophontem etiam Antimachus quidam enumeratur. Fieri potest, ut Quinti haec memoria ad easdem fabulas veteriores redeat, ad quas scholiasta provocavit Thucydideus. Certiora quidem hac de re non affirmaverim.

1) Consimilem rumorem de Diomede conservavit Eustath. ad Ἰλ. Ε, 4: Τὰ γὰρ πρὸ τούτων ἐπεσκοτεῖτο (Διομήδης) οἷον ὑπὸ τῆς Ἀχιλλέως ἀρετῆς ἢ καὶ διότι ἐν τῷ φθάσαντι χρόνῳ τὴν Θρᾴκην ἐγεώργει, ὥς τινες ἱστοροῦσιν. Hoc tamen notatu dignum, in Iliade Acamantem Thracum ducem esse (B, 844. E, 462. Z, 8). Acamas Atheniensis Homero ignotus est. Occurrit autem nobis in Chersoneso Thracia ut Acamantis ita etiam Demophontis (Demiphontis) nomen, quem in urbe Elaeusa (Ἐλαιοῦς) regnum obtinuisse testis est Phylarchus: F. H. G. I, 358. — Rationes, quae Acamanti cum Cypro insula intercesserunt, quamvis per se satis sint commemorabiles, tamen ad hanc quaestionem non pertinent. Cohaerere videntur haec cum rebus Solonis.

locorum et heroum nomina occurrunt, quae praeterea non nisi in ipso urbis Athenarum circuitu inveniantur. Qua in re iam posterioris aetatis scriptores offenderunt ipsi, quippe qui Athenienses inde τῆς πρὸς τοὺς Ἀττικοὺς ἐπιπλοκῆς τῶν Τρώων argumenta petivisse referrent (Strab. p. 604). Nec falsi sunt illiquidem. Sed latet Atheniensium illa ratio iam in ipsa fabularum istarum origine. Quod Phanodemus[1]) in Atthide sua tradidit, Teucrum ex pago Attico Ξυπέτῃ migrasse in terram Troianam multisque hanc narrationem argumentis probavit, certe non ipse auctor fuit huius memoriae. Cuius generis τεκμήρια ista fuerint, Strabonis verbis edocemur, qui in eis τὸ παρ' ἀμφοτέροις Ἐριχθόνιόν τινα γενέσθαι τῶν ἀρχηγετῶν numerat. Et profecto, hoc sane admirabile est. Ferebatur enim Erichthonius hic ex Teucri filia natus esse atque commemoratur idem iam in Iliadis carmine (Y. 219 sq.). Num hic de recentioribus Atheniensium interpolationibus cogitari liceat, equidem disceptare non audeo. Eadem autem valent de alio heroe Attico,

---

1) Dion. Hal. A. R. I, 61: *τοῦτον (Τεῦκρον) δὲ ἄλλοι τε πολλοὶ καὶ Φανόδημος ὁ τὴν Ἀττικὴν γράψας ἀρχαιολογίαν ἐκ τῆς Ἀττικῆς μετοικῆσαί φασι εἰς τὴν Ἀσίαν δήμου Ξυπεταιέως ἄρχοντα καὶ πολλὰ παρέχονται τοῦ λόγου τεκμήρια.* Ipsa superiora Dionysii verba obstant, quominus inde concludamus (id quod Gaedius, Demetrii Sceps. quae supers. p. 33 fecit) Strabonis testimonium p. 604: *ἄλλοι δ' ἐκ τῆς Ἀττικῆς ἀφῖχθαί τινα Τεῦκρόν φασιν ἐκ δήμου Τρώων* necessario ad Phanodemum ipsum esse referendum. Pagum *Ξυπέτην* antea *Τροίαν* audivisse, Stephanus quoque Byzantius testatur s.v. *Τροία: εἰσὶ καὶ ἄλλαι Τροῖαι· ἐν Ἀττικῇ κώμη, ἥτις νῦν Ξυπέτη* (falso Meinekius: *Ξυπετή*) *δῆμος καλεῖται.* Erravit autem Rossius Demen p. 85 cum eiusdem rei testem afferret Dionysium Halicarnassensem. Nomen gentilicium, quod in codicibus monstrose decurtatum est, *Ξυπεταιών* fuisse, ex titulis nunciam satis compertum habemus (C. I. A. I, 243). Itaque in Strabone prava Meinekii scriptura *ὃς νῦν οἱ Ξυπετεῶνες λέγεται* corrigenda est (*ὁ Ξυπεταιόνων?*). Ad eandem autem normam emendaverim etiam quod nonnulli exhibent codices Dionysiani nuperque reposuit Iacobyus (Dion. Hal. Ant. Rom. Lps. 1886. I, 61) *δήμου Ξυπεταιέως.* Sauppio enim hac in re applaudere nequeo (Goettg. gel. Anz. 1861 p. 1862).

eodem fere loco orto. Erat enim prope ad Xypetaeones et necessitudinis quodam vinculo (Pollux IV. 105) cum iis coniunctus pagus Atticus τῶν Θυμαιταδῶν (C. I. A. I, 189 a et b.) vel Θυμοιταδῶν (Milchhoefer, Text zu d. Karten v. Att. Berl. 1883 p. 10) quorum eponymus Θυμοίτης fuit, Oxyntae filius, (Paus. II. 18, 9) supremus e Thesei stirpe Atheniensium rex. (Nicol. Dam. F. H. G. III, 386. Athen. p. 96). Quid quod eiusdem nominis vir etiam inter Troianos nobis occurrit atque illequidem iam in Iliade (Γ. 146)?[1]) Quod fieri casu vix puto. Atque ut adiungam vel unum, nonne huc ipsum revocandae videntur rationes istae (quarum quidem memoriam auctoribus Homero recentioribus debemus) quas inter Munichiam paeninsulam, in ipsa locorum illorum vicinitate sitam, et Acamantis regiaeque Troianorum virginis filium intercessisse supra vidimus?

Non addo litteram. Omnino enim haec fabularum rudera obiter spectanti quantumvis dissociabilia si ratione digerimus mirum quantum inter se concinere et coalescere nemo non cernit.[2])

1) Fieri potest, ut hic ansam dederit Euphorioni ad illius fabulae fictionem, quam Servius ad Verg. Aen. II, 32 affert. — Etiam *Ἐχέλας* (Paus. III. 2, 1) vel *Ἐχέλαος* (Plut. conv. sept. s. 20), Aeolidis conditor, nescio an in eundem gyrum referendus sit, si fidem facit Fick (Griech. Eigennamen p. 22), qui *Ἐχέλαος* aequiparat cum *Ἔχελλος*. Est autem *Ἔχελλος* vel *Ἔχελος* pagi *Ἐχελίδαι* eponymus, ad ipsam illam *τετρακωμίαν* adiacentis. Milchhoefer, Text p. 6. Grammatici sane huic nomini *ἕλος* inesse volunt, quod inter Piraeum et Herculis sacrum fuerit situm. Et. M. s. v. *Ἔχελος*. St. Byz. s. v. *Ἐχελίδαι*. Hesych. s. v. *ἐν Ἐχελιδῶν*. Apud Strab. p. 582 pro depravato *Ἀρχέλαον* scribendum est *Ἐχέλαον*.

2) Nec spernenda quae hinc lucramur ad Atheniensium cum historiae fabularis tum rerum publicarum cognitionem. Si enim recte fabellarum istarum rationes perspeximus, contra haud raro nobis coniecturam licebit facere ex fabularum aliquo concentu de necessitudinibus, quae inter externas regiones et terram Atticam antiquitus intercesserint. Quod consulto hoc loco obtineo contra sententiam vel nuper prolatam ab homine docto. (Holm, Griech. Gesch. I p. 464: ‚Man kann hiergegen nicht einwenden, dass ja die jonischen Städte in Asien und speciell Milet Kolonien Athens waren. Das sind mythische Beziehungen.‘)

Sed a vagis mythis iam oculos convertamus ad stabiliora historiae monumenta. Nam ut primo vere infirmae ac lubricae viatori fere sunt viae, quibus aestate expedite ac facile procedere possit, ita vel historia fabularis, quippe quae altera tantum historiae ipsius sit forma eamque praecedere soleat, ut ver praecedit aestatem, eos, qui in ipsa versantur, haud raro in errores rapit et lapsus. Attamen res veteriores cum omnium Graecorum tum Atheniensium penitus pernoscere si voluerimus, historiam fabularem minime possumus neglegere. Neque etiam ei ipsi, qui iam rerum scriptores solent vocari, ab iis temporibus, quibus fabulae istae divulgabantur, ita magno spatio diiuncti sunt. Termini in his rebus circumscripte omnino non possunt constitui. Velut Herodotus ipsas illas narrationes, quibus Athenienses Mytilenaeis vindicationis ius comprobasse ait, eodem modo λόγους appellat atque totum suum, quod conscripsit, opus.

Iam vero ab Herodoti testimonio, quo aut vetustius aut gravius habemus nullum, etiam in ipsis Atheniensium belli rebus perspiciendis nobis proficiscendum est. E proximis saeculis nihil de iis rebus devenit ad nos. Recurrit illius belli memoria apud seriores demum scriptores, manca illaquidem et lacunosa. Quorum auctorum testimonia si cum narratione Herodotea conferimus, maxima vel primo obtutu comparet discrepantia. Herodotus Hippiam e Lacedaemone expulsum Sigeum discessisse enarrans, Pisistratum oppidum illud, vi a Mytilenaeis expugnatum, Hegesistrato, filio suo spurio, tradidisse refert. Sequitur famosus ille Alcaei casus, cum in pugna aliqua inter Athenienses et Mytilenaeos commissa scutum suum reliquerit. Componitur denique totum bellum arbitrio Periandri Corinthii. Quae narratio sane ut cum temporibus, ita cum eis, quae apud Strabonem p. 600 et Diogenem Laertium I § 74 de Atheniensium et Mytilenaeorum bello scripta sunt, summopere videtur pugnare.

Quapropter Herodotum, cum haec referret, portentose erravisse, non defuerunt, qui contenderent. Atque ut iam is, quem quisque pro rectissimo haberet, temporum ordo restitueretur, ab aliis alia adhibita est medela. Quorum singulorum nec nomina nec medicamina singillatim hic enumerari opus est. Graviora tamen, quae huc faciunt, spectanda.[1])

Pertractavit copiose totam hanc quaestionem primus Schoenius in Symb. philol. Bonn. p. 746—759. Quem cum in multis rectissime confutaverit Rohdius (M. Rh. XXXIII p. 215—217) tamen Schoenii errores magis mihi videtur exagitasse, quam omnes plane extinxisse. Schoenius ut ex Suidae testimonio (s. v. Σαπφώ) et Sapphonem et Alcaeum ol. 42 demum natos esse concludit, ita conclamatam illam Alcaei fugam et Periandri de Sigeo arbitrium in id bellum differt, quod Pisistratum cum Mytilenaeis gessisse testis est Herodotus. Sed eum hoc conicientem gravissima Sosicratis (Diog. L. I § 95.) Strabonis (XIII p. 617) Suidae (s. v. Σαπφώ) de Periandri, Sapphonis, Alcaei, Pittaci aetate testimonia neglexisse, satis comprobavit Rohdius l. l. p. 217, qui verbum γεγονυῖα in hoc

1) Grotius (Hist. Gr. II, p. 156 Meiss.) cum etiam hic, sicut in bello Salaminio (p. 120) discrepantias ita compensare conaretur, ut apud Herodotum spatium quadraginta annorum (600—560 a. Chr.) in unum coaluisse sumeret — invenit ille subscriptorem Stettinerum, Ad Solonis aet. quaest. crit. Regim. 1885 p. 47 — rem ipsam parum recte mihi perspexisse videtur. Omnino Grotius quaecumque in hoc bello ancipitia sunt ac dubia vix attigit vel, si quando id fecit, disceptationem in medio reliquit. Similiter Curtius (Gr. G. I [5] p. 119. 349. 351.) admodum strictim de his rebus egit neque omnia, quae huc pertinent, veterum scriptorum testimonia respexit. Dunckerum quidem (G. d. A. VI [5] p. 52. 134 sq. 274 sq. 566 sq.) et in narratione longe pleniorem et in testimoniis aestimandis Curtio multo accuratiorem fuisse etsi negari nequit, in singulis tamen vel ille haud raro mihi a vero aberrasse videtur. Nec magis Busoltium, qui supremus rem tetigit (Gr. G. I p. 514), id quod in hac quaestione agitur recte perspexisse puto. Holmius (Gr. G. I p. 464 sq.) ad diiudicandas has res omnino nullam attulit stipem.

Suidae loco non ‚natam esse' sed ‚floruisse' significare iusto monuit iure.

At etiam erga Herodotum merito inhumaniorem se praebuit Schoenius, cum illum turpissime tempora confudisse insimularet. Quae ad sententiam suam constabiliendam attulit ille fere haec sunt.

Provocans ad Herodoti testimonium, qui Athenienses Alcaei scutum in Athenaeo suo suspendisse refert, Schoenius primum haec profert p. 750: ‚Im ersten allem Anschein nach nur kurze Zeit währenden Kriege, in dem beide Parteien um Sigeion kämpften, wird den Athenern schwerlich Zeit geblieben sein, ein nationales Cultusheiligthum zu errichten.'[1]) Quod quo iure contenderit ille non intellego, cum prorsus incertum sit, et quo tempore Athenienses Sigeum occupaverint et quamdiu oppidum illud tenuerint. Praeterea vero Minervae sacrum minime est, cur non iam multo ante Atheniensium occupationem exstructum fuerit in urbe Graeca. Pergit Schoenius: ‚Desto näher lag dies, als die Stadt durch Pisistratus entschieden erobert und mit einem selbständigen Herrscher bedacht worden war.' Cuius rei notitiam non nisi ex Herodoto percepisse potest, cum

1) Minime assequi possum, quomodo Minervae illud templum, quod et ab Herodoto et in Alcaei versibus, a Strabone servatis, commemoratur, homines doctos tantopere exercere potuerit (Schoenius p. 750). Mihi quidem — sit enim Athenaeum ab Atheniensibus conditum — ipsa haec res ad ea, quae veteres scriptores de Atheniensium rebus hoc bello bene gestis tradiderunt, vel optime quadrare videtur. Nam eiusmodi aedificia, ad deorum patriorum cultum pertinentia primo quoque tempore a colonis exstructa esse satis notum est. Neque Mytilenaeorum ille cum Atheniensibus concursus, cui adfuit Alcaeus, ipsa ea res fuit, a qua inimicitiae inter utrumque populum initium ceperunt. Quod cum Strabonis de Pittaco testimonio: *διεπολέμει τέως διατιθεὶς καὶ πάσχων κακῶς, ὅτε καὶ Ἀλκαῖος* sq. tum Herodoti verbis *πολεμεόντων δέ σφεων παντοῖα καὶ ἄλλα ἐγένετο ἐν τῇσι μάχῃσι ἐν δὲ δὴ καὶ Ἀλκαῖος ὁ ποιητής* sq. satis confirmatur. Itaque mihi quidem ne levissima causa subesse videtur, cur hic de eo, qui apud Strabonem traditus est, rerum ordine deflectamus.

praeter hunc nemo antiquus scriptor illam rem commemoraverit. Herodotus vero, ut hanc Atheniensium possessionem firmam vel solidam fuisse contenderit, tantum abest, ut de Hegesistrato, cui Pisistratus oppidum illud tradiderat, ipsa haec fecerit verba: ὃς οὐκ ἀμαχητὶ εἶχε τὰ παρέλαβε παρὰ Πεισιστράτου.

Iam vero quod Schoenius praeterea ex ipsorum Alcaei versuum indole vel ex eo, quod Athenienses Alcaei scutum dignum habuerint, quod in fano suo suspenderent, Alcaeum ipsum eo tempore iam celebritate floruisse conicit, haec iam futiliora sunt, quam ut inde redundet quidquam.[1]) Ponitur autem Alcaei illa fuga cum a Strabone tum ab Herodoto, praeter quos nemo rei mentionem fecit, ante Periandri arbitrium. Quod haud parvi momenti ducendum, quoniam Periander, quando mortuus sit, certo constat: ol. 48, 4 = 585.[2]) Cogitur hinc necessario, Alcaei illum casum iam multo ante ipsius Pisistrati, nedum eius filii aetatem accidisse.

Quae res Schoenium quidem non admodum vexavit, quippe qui cum Herodotum temporibus mirum quantum erravisse (p. 750), tum disertum Strabonis de Alcaeo testimonium a grammatico quodam vel interpolatore insertum esse statueret. Quamquam apud Dunckerum G. d. A. VI[5] p. 275 scriptum video: ‚Dass die betreffende Stelle bei Strabon p. 600 eingeschoben und nicht vor den Zweikampf des Pittacus zu setzen ist, hat A. Schoene (Symb. philol. Bonn. p. 748) nachgewiesen.' At viro doctissimo assentiri nequeo. Quod quo iure affirmaverit Dunckerus,

1) Inferiora duo argumenta Schoenii, qui (p. 751) ex ratione, quae inter Pittacum et Alcaeum intercessisset et ex eo, quod Alcaeus non, sicut eius fratres Cicis et Antimenides, Melanchri caedi interfuisset (Diog. L. I § 74), Alcaeum Pittaco non paullo iuniorem fuisse conclusit, cum iam Rohdius l. l. p. 216 labefactaverit, missa facio.

2) Diog. L. I § 95: Σωσικράτης δέ φησι πρότερον Κροίσου τελευτῆσαι αὐτὸν ἔτεσι τετταράκοντα, καὶ ἑνὶ πρὸ τῆς τεσσαρακοστῆς ἐνάτης Ὀλυμπιάδος. Diels, M. Rh. XXXI p. 20.

optime patescet, si Schoenii ipsius argumentationem ante oculos posuerimus. Schoenius Strabonis verbis recitatis haec adiecit p. 748: ‚Worte, die Kramer Bd. I praef. p. LXXXVII und III, p. 35 mit Recht als den Zusammenhang des Satzes gewaltsam unterbrechend erkannt hat. Sie erscheinen als die Randbemerkung eines Lesers, dem das betreffende Gedicht des Alcaeus vorlag.‘ Ac paullo infra: ‚Die einzige Quelle, welche den Unfall des Alcaeus mit diesem Kampfe in Verbindung bringt, ist Strabon und bei ihm ist die betreffende Stelle offenbar hineininterpolirt.‘ Praeterea apud Schoenium nihil de hac re scriptum est nec Kramerus ipse sententiam suam ullo probavit argumento.

At singula orationis Strabonianae membra si recte per notas distinxerimus, Krameri suspicionem prorsus imbecillam esse liquido apparebit: [1]) Πιττακὸς δ᾽ ὁ Μυτιληναῖος, εἷς τῶν ἑπτὰ σοφῶν λεγομένων, πλεύσας ἐπὶ Φρύνωνα στρατηγὸν διεπολέμει τέως διατιθεὶς καὶ πάσχων κακῶς, ὅτε καὶ Ἀλκαῖός φησιν ὁ ποιητὴς ἑαυτὸν ἔν τινι ἀγῶνι κακῶς φερόμενον τὰ ὅπλα ῥίψαντα φυγεῖν, (λέγει δὲ πρός τινα κήρυκα κελεύσας ἀγγεῖλαι τοῖς ἐν οἴκῳ· ‚Ἀλκαῖος . . Ἀττικοί‘) ὕστερον δ᾽ ἐκ μονομαχίας, προκαλεσαμένου τοῦ Φρύνωνος, ἁλιευτικὴν ἀναλαβὼν σκευὴν συνέδραμε, καὶ τῷ μὲν ἀμφιβλήστρῳ περιέβαλε τῇ τριαίνῃ δὲ καὶ τῷ ξιφιδίῳ ἔπειρε καὶ ἀνεῖλε· μένοντος δ᾽ ἔτι τοῦ πολέμου Περίανδρος διαιτητὴς αἱρεθεὶς ὑπὸ ἀμφοῖν ἔλυσε τὸν πόλεμον. Strabonem quidem hic more suo nonnulla orationi interposuisse non nego. Sed quae interiecit haec sunt: λέγει — Ἀττικοί. Minime vero parenthesis, quae vocatur, incipit a verbis: ὅτε καὶ Ἀλκαῖος sq., quae verba cum

1) Apud Kramerum id admodum prave factum est (vol. III p. 34). Cuius scripturae se applicavisse Bergkium P. L. G. III p. 159 miror. Meinekius quidem verba a Kramero in dubium vocata ne in ordinem verborum quidem recepit (III, p. 840).

antecedentibus tam arte contexta sunt, ut ab iis nullo pacto possint divelli.

Probatur igitur, non refutatur Herodoti temporum descriptio testimonio Straboniano, qui idem Alcaei fugam ante Periandri arbitrium cecidisse testis est.

At unum hic maxime tenendum: universa narratio Herodotea non uno tenore continuata est. Si enim Herodotus superiorem de Hegesistrato memoriam perducere voluisset, minime ita perrexisset, ut universe iam dudum de Sigeo Athenienses et Mytilenaeos pugnavisse denuo repeteret. Hoc omnino cogitari nequit. Quapropter cum hic more suo facta Sigei mentione bellum in transcursu commemorare de Sigeo olim inter Athenienses et Mytilenaeos gestum rectissime iam perspexit Valckenaerius. Cogitur hoc necessario cum ex aliis causis,[1]) tum ex temporum rationibus: quae de Pisistrati filio narrat Herodotus nullo pacto ante ol. 48, 4 = 585, quo anno Periandrum mortem obiisse constat, accidisse possunt. Herodotus igitur, quin hic, sicut saepissime, superioris belli memoriam obiter repetiverit, non est dubitandum.

Itaque Rohdius duorum bellorum, quorum hic mentio facta esset, memoriam acerrime nobis distinendam esse iusto mihi statuisse videtur iure: scilicet superioris, Periandri arbitrio confecti et recentioris, quod Pisistratus et filius eius spurius Hegesistratus gessissent. Sigeum vero, Periandri arbitrio Atheniensibus addictum, postero tempore rursus Mytilenaeorum factum esse, satis vel inde adparet, quod Herodotus Pisistratum oppidum illud vi a Mytilenaeis expugnasse ipse perhibet V, 94: Σίγειον τὸ εἷλε Πεισίστρατος αἰχμῇ παρὰ Μυτιληναίων. Itaque si

1) Cohaeret inde a verbo ἐπολέμεον usque ad finem c. 96 ita inter se tota narratio, ut incisionem nulla parte facere possis.

Herodotum verbis ἐπολέμεον γὰρ ἔκ τε Ἀχιλληίου πόλιος ὁρμεόμενοι καὶ Σιγείου χρόνον ἐπὶ συχνὸν Μυτιληναῖοί τε καὶ Ἀθηναῖοι sq. ad superius bellum strictim repetendum transiisse recte statuimus, omnes iam et rerum et temporum difficultates evanescunt.[1])

Atque quoniam universe duo bella, temporis spatio inter se diiuncta, nobis separanda esse cognovimus, quidnam veteres scriptores de superiore bello tradiderint, accuratius iam perlustranda sunt. Uberiora de his rebus exstant apud auctores tres: Herod. V, 94 sq. Strab. p. 600. Diog. L. I § 74. Accedunt his nonnulla testimonia viliora, quae tamen ad singula belli momenta acrius pernoscenda haud parvi aestimanda sunt.

Bellum cum Atheniensibus susceptum Mytilenaeis initio haud prospere cessisse Strabo testis est. Refert ille Pittacum, quem Mytilenaei contra peregrinos advenas emisissent, infeliciter aliquamdiu cum Atheniensibus pugnavisse. Quod non est, cur in dubitationem vocemus, cum omnino Athenienses Sigeum oppidum et occupantes et tuentes satis firmo praesidio usi esse videantur. Mytilenaei quam male ab iis accepti sint, gravissimi testes Alcaei illi exstant versus, quos admodum quidem mutilatos idem nobis conservavit Strabo. Eius narratio, cui cum Herodotea nulla ratio intercedit, ex ipso Alcaei carmine fluxisse videtur, cuius quidem duobus versibus a Strabone relatis fere idem continetur, atque Herodotus enarrat. Tradit quidem sub-

---

1) Permiscuit res etiam Plehnius, Lesbiaca p. 53 cum ipsa haec Herodoti verba ad Hegesistrati bellum referret. Sed totus hic liber hodie vix quidquam potest valere, cum auctor miro quodam modo omnes difficultates aut circumierit aut praetermittendo evitaverit. Nec magis ea, quae Bergkius (Gr. Lit. G. II p. 272 Adn. 2 Hinr.) de Alcaei fuga ab Herodoto relata protulit comprobare possum. Idem autem de Petersenio (de hist. gent. Attic. p. 122) et Steinio (adn. ad. Her. V, 94) valet.

inde Herodotus, Alcaeum carmen istud Melanippo cuidam Mytilenaeo misisse. Sed talis rei notitiam non est, cur non ex ipso poemate percipere potuerit. Itaque fieri potest, ut narratio Herodotea item ex solo Alcaei carmine fluxerit, quamvis quidem vel alios fontes illi suppeditasse minime negaverim.[1])

Ipsum bellum qua ratione inter utrosque gestum esset, optime exposuit Herodotus V, 94: ἐπολέμεον γὰρ ἔκ τε Ἀχιλληίου πόλιος ὁρμεόμενοι καὶ Σιγείου χρόνον ἐπὶ συχνὸν Μυτιληναῖοί τε καὶ Ἀθηναῖοι, οἱ μὲν ἀπαιτέοντες τὴν χώρην, Ἀθηναῖοι δὲ οὔτε συγγινωσκόμενοι. Cum enim Athenienses Phrynone duce Sigeum occupavissent, Mytilenaei in loco vicino Achilleum castellum muniverunt, unde oppugnarent Athenienses. Refert enim Strabo p. 600: Τίμαιον δὲ ψεύσασθαί φησιν ὁ Δημήτριος ἱστοροῦντα ἐκ τῶν λίθων τῶν ἐξ Ἰλίου Περίανδρον ἐπιτειχίσαι τὸ Ἀχίλλειον τοῖς Ἀθηναίοις, βοηθοῦντα τοῖς περὶ Πιττακόν, ἐπιτειχισθῆναι μὲν γὰρ ὑπὸ τῶν Μυτιληναίων τὸν τόπον τοῦτον τῷ Σιγείῳ, οὐ μὴν ἐκ λίθων τοιούτων οὐδ' ὑπὸ τοῦ Περιάνδρου. Timaeus qua re adductus sit, ut Periandro Achillei exstructionem tribueret, exputari nequit. Sed quamquam ne Demetrius quidem Scepsius magis habuisse videtur, quam nos, quo Timaei illam sententiam infringeret, tamen mihi ipsum hoc argumentum πῶς γὰρ ἂν αἱρεθῆναι διαιτητὴν τὸν προσπολεμοῦντα; sufficere videtur ad reiciendum Timaei testimonium. Negat praeterea praefracte Demetrius Achilleum ex lapidibus Iliacis esse exstructum, cuius rei memoria, cur non ex optimo fonte manaverit ad Scepsium non video. Iam vero cum etiam Plinius h. n. V, 33 Mytilenaeos ipsos Achilleum

---

1) Alcaei fugam multi ex recentioribus admodum perverse aestimaverunt, cum Athenienses eo, quod Alcaei scutum in templo suo suspendissent, demonstrasse putarent, haud parvi duci a se poetae virtutem (Ulrici, Gesch. d. hell. Dichtk. II p. 353. Plehn, Lesb. p. 170. Schoene l. l. p. 750). Qua de re quomodo veteres iudicaverint ipsi, ex Plutarcho (de Her. mal. 15) satis conspicuum est.

exstruxisse adsentiatur Demetrio, quin Timaei illud testimonium falsum sit, vix potest dubitari.[1]) Adicit de Achilleo Strabo p. 600: Ἀχίλλειον δ' ἔστιν ὁ τόπος ἐν ᾧ τὸ Ἀχιλλέως μνῆμα, κατοικία μικρά quibuscum optime congruit Plinius l. l.: ‚fuit et Achilleon oppidum iuxta tumulum Achillis conditum a Mytilenaeis et mox Atheniensibus ubi classis eius steterat in Sigeo'. [2])

Videmus igitur Athenienses et Mytilenaeos duobus illis locis pro receptaculis utentes satis diu ita inter se pugnavisse, ut Mytilenaei territorium ab Atheniensibus occupatum reposcerent, Athenienses possessione non cederent. Ita Herodotus. Elucet liquido ex eius verbis, id, de quo inter utrosque ageretur, fuisse Sigeum.

Aliter Diogenes, qui de illo bello haec habet: Καὶ περὶ τῆς Ἀχιλλείτιδος χώρας μαχομένων Ἀθηναίων καὶ Μυτιληναίων, ἐστρατήγει μὲν αὐτὸς (Πιττακός), Ἀθηναίων δὲ Φρύνων παγκρατιασ-

1) Clinton F. H. I p. 219 quidem Timaeo auctore Periandrum ipsi bello interfuisse sumit: cum enim bellum per longinquum tempus gereretur, fieri potuisse, ut Periander ante aliquamdiu particeps, postea arbiter esset. Sed hoc quam parum verisimile esset, iam perspexit Demetrius. Schoenium miro modo disertum ipsius Demetrii testimonium effugit p. 749: ‚Die Lesbier befestigen Achilleum (Spuren dieser Thatsache in der Behauptung des Timaeus bei Strabon und ausdrückliche Beglaubigung bei Plinius)'.

2) Parum recte auctorem suum expressit Solinus p. 187, 12 Momms.: In Rhoeteo litore Athensienses et Mytilenaei ad tumulum ducis Thessali Achilleon oppidum condiderunt, quod propemodum interiit. Steph. Byz. s. v. Ἀχίλλειος δρόμος habet: ἔστι καὶ πόλις ἐν τῷ Σιγείῳ Ἀχίλλειον, id quod sine dubio corruptum est. Codices quidem Stephaneos consentire inter se omnes subministrat mihi Boysenius. Quid hic desideretur, Strabonis verba indicant p. 596: τοῦ μὲν οὖν Ἀχιλλέως καὶ ἱερόν ἐστι καὶ μνῆμα πρὸς τῷ Σιγείῳ. Quamquam quomodo corruptela contracta sit in Stephano, difficile est divinare. Possit forte cogitari πόλις ἐν τῷ Σιγείῳ pro πλησίον τοῦ Σιγείου (solet quantum video, apud Stephanum πλησίον semper cum genetivo copulari) scriptum esse, sed cum antecesserit Achilleum κώμη, sequatur φρούριον et τόπος, ne hic quidem πόλις extinguendum videtur. Fieri potest, ut Stephanus pro πόλις ἐν τῷ Σιγείῳ scripserit πόλις ἐγγὺς Σιγείου.

τῆς ὀλυμπιονίκης. Συνέθετο δὲ μονομαχῆσαι πρὸς αὐτόν· καὶ δίκτυον ἔχων ὑπὸ τὴν ἀσπίδα, λαθραίως περιέβαλε τὸν Φρύνωνα καὶ κτείνας ἀνεσώσατο τὸ χωρίον. Ὕστερον μέντοι φησὶν Ἀπολλόδωρος ἐν τοῖς Χρονικοῖς διαδικασθῆναι τοὺς Ἀθηναίους περὶ τοῦ χωρίου πρὸς τοὺς Μυτιληναίους ἀκούοντος τῆς δίκης Περιάνδρου, ὃν καὶ τοῖς Ἀθηναίοις προσκρῖναι.

Concluserunt hinc homines recentiores cum alii tum Rohdius Achilleum, Mytilenaeorum castellum, illo bello in discrimen venisse. Rohdius quomodo rem finxerit in M. Rh. XXXIII p. 216 sq. enucleate exposuit. Liceat mihi, ne mea culpa res fiat obscura ipsa eius referre verba: ‚Liest man alle drei Berichte unbefangen durch, so ergiebt sich, glaube ich, folgender Verlauf der Kämpfe. Sigeum, eine Gründung der Mytilenaeer, nehmen die Athener unter Phrynondas;[1]) sie bedrohen auch Achilleum, eine andere mytilenaeische Besitzung. Pittacus stellt durch Besiegung des Phrynondas das Waffenglück der Mytilenaeer wenigstens so weit wieder her, dass der gemeinsam gewählte Schiedsrichter Periander nur Sigeum, nicht auch Achilleum, den Athenern (welche S. thatsächlich besetzt hielten) zuspricht. Später gewinnen aber die Mytilenaeer Sigeum doch wieder; Pisistratus nimmt es ihnen mit Gewalt ab und setzt seinen Sohn Hegesistratus dort als Tyrannen ein, welcher gegen die in Achilleum sitzenden Mytilenaeer seinen Besitz in fortwährenden Kämpfen zu behaupten hatte, ihn aber wirklich behauptete bis zur Ankunft des Hippias. — Bei dieser Darstellung geschieht keinem der Zeugen Gewalt; alles greift wohl in einander, wenn man nur annimmt, dass Laertius in dem Excerpt aus Apollodor sich ungenau ausdrückte, wenn er den Periander Achilleum (statt Sigeum) den Athenern zuertheilen lässt.‘

1) Nescio qua re nisus Rohdius identidem hanc nominis formam usurpaverit.

At dubito, num discrepantiam in Diogene ita explanari liceat, ut Rohdius fecit, qui eo, quod Apollodori testimonium parum accurate a Diogene exscriptum esse coniecit, omnes sibi enodasse videtur difficultates.

Quin immo proficiscendum in his rebus restituendis ab eis, quae cognita habemus et comperta. Refert Diogenes expressis verbis gravissimum Apollodori testimonium, ex quo id ipsum, de quo inter utrosque ageretur χωρίον Atheniensibus tributum esse necessario cogitur. Utrum autem χωρίον id fuerit, quod illo bello in discrimen venerit, supra vidimus. Habemus praeterea disertum Herodoti testimonium, unde ipsum Sigeum Periandro arbitro Atheniensibus adiudicatum esse comparet V. 95: κατήλλαξε δὲ ὧδε, νέμεσθαι ἑκατέρους τὴν ἔχουσι· Σίγειον μέν νυν οὕτω ἐγένετο ὑπ' Ἀθηναίοισι. Nec Rohdius ipse quin Apollodorus cum Herodoto consenserit dubitat. Hoc tenendum est. Iam vero ab hac re si in illustranda Diogenis narratione proficiscimur, Diogenem inter se pugnantia retulisse patescit. Cum enim χωρίον illud, quod Pittacus recuperaverit, ab eo, quod Periander Atheniensibus attribuerit, minime discerni possit apud Diogenem, Athenienses arbitrio illo accepisse Achilleum, necessario hinc cogatur. Hoc autem aperte falsum est. Infringit igitur Diogenes ipse superioris sui testimonii vim. Itaque cum in eius narratione solus alteruter locus rectus possit esse, in utro erraverit, patet.

Accedunt consentientia ceterorum scriptorum testimonia (a Rohdio quidem prorsus neglecta) quibus Atheniensium illam et Mytilenaeorum controversiam non de Achilleo, sed de Sigeo fuisse, aperte indicatur: Scholiasta ad Aesch. Eum. 398 Μυτιληναῖοι ἐμάχοντο πρὸς Ἀθηναίους περὶ πόλεως Σιγείου sq. Plutarchus de Her. mal. c. 15 Πολεμεόντων γὰρ Ἀθηναίων καὶ Μυτιληναίων περὶ Σιγείου sq. Polyaen. I, 25 Πιττακὸς καὶ Φρύνων ἐμονομάχουν

Σιγείου πέρι sq. Suidas s. v. Πιττακός: καὶ Φρύνωνα στρατηγὸν Ἀθηναίων πολεμοῦντα ὑπὲρ τοῦ Σιγείου sq. Testantur universi hi scriptores uno ore id quod supra effecimus. Strabo quidem cum Pittaci contra Phrynonem certamen referret, qua de re pugnatum esset, nominatim non adiecit, sed superiora eius verba τοῦτο δὲ (Σίγειον) κατέσχον μὲν Ἀθηναῖοι Φρύνωνα τὸν ὀλυμπιονίκην πέμψαντες Λεσβίων ἐπιδικαζομένων σχεδόν τι τῆς συμπάσης Τρῳάδος tam plane conspirant cum Herodoti testimonio ἐπολέμεον γὰρ ἔκ τε Ἀχιλληίου πόλιος ὁρμεόμενοι καὶ Σιγείου χρόνον ἐπὶ συχνὸν Μυτιληναῖοί τε καὶ Ἀθηναῖοι, οἱ μὲν ἀπαιτέοντες τὴν χώρην, Ἀθηναῖοι δὲ οὔτε συγγινωσκόμενοι, ut qua de re etiam ille controversiam istam fuisse putaverit, minime possit ambigi.

Errorem Diogenis esse me iudice iam denegari nequit. Nihilo secius vel unum liceat subiungam ultimum. Quippe ratiocinationem Rohdianam si sequimur vel in aliam haud parvam mihi incidere videmur salebram. Cogitur enim inde — ex Diogenis quidem testimonio καὶ κτείνας (Πιττακός) ἀνεσώσατο τὸ χωρίον magis quam ex Rohdii verbis ‚*sie (die Athener) bedrohen auch Achilleum*‘ quae quo solo nituntur Diogenis testimonio non plane respondent — Mytilenaeos quod Sigeo obstruxerant, Achilleum castellum, ante ipsam Pittaci victoriam iam semel amisisse, id quod nec traditum est usquam nec levissimam habet veritatis speciem. Quae difficultas Rohdio sane fuit respicienda. Diogenis autem verba quomodo aliter interpretemur equidem non video.[1]) Sed iam subsisto.

---

1) Dunckerus quoque adsentiens Rohdio Diogenis testimonium quamvis dubitanter et elevavit et dilatavit G. d. A. VI[5] p. 135: ‚Phrynon bedrängte die neue Feste, als Pittacus, von den Mytilenaeern zum Strategen gewählt mit den Lesbischen Schiffen herbeieilte, den Phrynon im Zweikampfe besiegte und tödtete und Achilleion rettete‘ et p. 274 sq. ‚Aber der Krieg lief unglücklich für die Mytilenaeer, statt Sigeion wieder zu gewinnen, schienen sie auch Achilleion verlieren zu sollen. Die neue Feste war hart von den Athe-

Laborare Rohdii sententiam quantumvis speciosam ostendisse mihi videor. Immo Diogenes non tam in Apollodori testimonio excerpendo, quam in iis, quae supra retulit ipse, parum videtur fuisse religiosus. Solum hinc duplex illa Diogenis cum ceterorum scriptorum testimoniis et cum Apollodoro ipso discrepantia et orta esse et illustrari potest.

Id, de quo inter Athenienses et Mytilenaeos eo bello actum est fuit Sigeum. Mytilenaei autem si omnino quidquam Pittaci victoria recuperaverunt, solum recuperavisse possunt Sigeum. Hoc iam ex omnibus quae illa de re devenerunt ad nos necessario cogitur. Quamquam Diogenis illa socordia unde repetenda sit nescire me fateor. Commemoratur autem Ἀχιλλεῖτις χώρα nisi hoc Diogenis loco omnino nusquam. Herodotus, Strabo, Stephanus non nisi Ἀχίλλειον oppidum noverunt, quod eo loco, quo Achilles sepultus esse credebatur, exstruxisse perhibebantur Mytilenaei. Iam vero cum omnes scriptores controversiam istam de Sigeo fuisse consentiant, Diogenis Ἀχιλλεῖτις χώρα fortasse nihil aliud significat atque illa Ἰλιὰς χώρα, de qua Herodotus Athenienses et Mytilenaeos ipso eo bello contendisse testis est: (Ἀθηναῖοι) ἀποδεικνύντες τε λόγῳ οὐδὲν μᾶλλον Αἰολεῦσι μετεὸν τῆς Ἰλιάδος χώρης ἢ οὐ καὶ σφίσι.

Iam me converto ad ipsum Periandri arbitrium. Commemoratur causa ista apud eosdem tres auctores: Herod. V, 95. Strab. p. 600. Diog. L. I § 74. Brevissimus Strabo de ea re (ut capitis insequentis verbis πῶς γὰρ ἂν αἱρεθῆναι διαι

---

nern bedrängt, da wurde Pittacus etc.‘ Tali modo diversissima testimonia inter se conglutinari non debent. Canonem Dunckerianum secutus est etiam Busoltius Gr. G. I p. 514: ‚Es handelte sich namentlich um die Behauptung der Veste Achilleion, welche von den Mytilenaeern nordwärts von Sigeion am Ausflusse des Skamandros erbaut und anscheinend ernstlich bedroht war.‘

τητὴν τὸν προσπολεμοῦντα satis evincitur) auctore Demetrio: Μένοντος δ' ἔτι τοῦ πολέμου Περίανδρος διαιτητὴς αἱρεθεὶς ὑπὸ ἀμφοῖν ἔλυσε τὸν πόλεμον. Uberior Apollodorus apud Diog. L. I § 74: Ὕστερον μέντοι φησὶν Ἀπολλόδωρος ἐν τοῖς Χρονικοῖς διαδικασθῆναι τοὺς Ἀθηναίους περὶ τοῦ χωρίου πρὸς τοὺς Μυτιληναίους, ἀκούοντος τῆς δίκης Περιάνδρου, ὃν καὶ τοῖς Ἀθηναίοις προσκρῖναι.

Apollodori testimonium Klüberus (Quellen Diodors p. 27 sq.) ad Demetrium Scepsium revocavit: ‚Dass Apollodor, welchen Diog. an unserer Stelle citirt, aus Demetrius (in adnotatione: darüber kann gar kein Zweifel sein) seine Nachricht schöpfte, ergiebt sich daraus, dass Demetrius bei Strabo dasselbe wie Apollodor bei Diogenes erzählt und nach Strabos Zeugniss Apollodor das Meiste dem Demetrius entlehnte.' At Klüberus cum in tota sua commentatione, tum in ipsa hac re admodum pravam secutus est rationem. Primum enim Strabonis et Apollodori testimonia omnino non congruunt inter se. Apollodorus Strabone multo et accuratior et plenior. Velut de ipso arbitrii argumento apud hunc nihil. Iam vero quod Klüberus, ut Demetrium in hac re ab Apollodoro compilatum esse efficeret, ad Strabonis testimonium provocavit p. 339: ταῦτα δ' οὐχ ὁμολογεῖ τοῖς ὑπὸ τοῦ Σκηψίου Δημητρίου λεγομένοις, παρ' οὗ μεταφέρει τὰ πλεῖστα (Ἀπολλόδωρος), ipse incidit in salebram. Spectant enim Straboniana illa, quae adfert Klüberus, solum ad Apollodori commentarium Homericum, minime vero ad Chronica, de quibus hic agitur (Diog. L.: Ἀπολλόδωρος ἐν τοῖς Χρονικοῖς). Praeterea, si Strabone teste plurima a Demetrio mutuatus est Apollodorus, ad unamquamque rem hinc redundat nihil, id quod ipso eo, quod Klüberus (incommodissime illud quidem) elegit exemplo probe demonstratur (Strab. p. 339).

Periandri arbitrium omnino res apud omnes pervagatissima videtur fuisse. Cuius rei memoria quam diu in ipsis

illis regionibus perduraverit', inde satis cernitur quod vel quarto ante Christum saeculo Tenedios cum Sigeis ambigentes ad Periandri arbitrium provocavisse constat[1]). Itaque non video, cur Apollodorus, cum Chronica sua componeret notitiam illius rei, etiam Herodoti testimonio satis celebratae, potissimum e Demetrio perceperit. Certa nimirum de Apollodori auctore proferre non licet neque in re aliunde satis comperta refert; verumtamen multo probabilius est Apollodorum, sicut pleraque in Chronicis, ita haec quoque ex Eratosthenis libro transscripsisse.

Iam venio ad gravissimum testem Herodotum, qui rem satis dilucide ita exponit: Μυτιληναίους δὲ καὶ Ἀθηναίους κατήλλαξε Περίανδρος, ὁ Κυψέλου· τούτῳ γὰρ διαιτητῇ ἐπετράποντο· κατήλλαξε δὲ ὧδε· νέμεσθαι ἑκατέρους τὴν ἔχουσι. Σίγειον μέν νυν οὕτω ἐγένετο ὑπ' Ἀθηναίοισι. Nec tamen defuerunt, qui disertam hanc narrationem studerent labefactare. Velut Schoenius contra consentientia Apollodori et Herodoti testimonia Periandrum Atheniensibus omnino quidquam addixisse praefracte negat p. 749: ,Nach dem ersten Kriege in der 42n oder 43n Olympiade war Mytilene durch den Sieg des Pittacus und die Entscheidung des Periander im Besitz von Sigeion geblieben.' Herodoti enim verba Σίγειον μέν νυν οὕτω ἐγένετο ὑπ' Ἀθηναίοισι ex errore orta esse, superiore ipsius Horodoti narratione probari. Apollodorum vero, utpote qui idem Periandrum Atheniensibus agrum adiudicasse traderet, perversum hoc testimonium ex perversa Herodoti narratione hausisse. Ergo neutri fidem habendam[2]).

---

1) Aristot. Rhet. I, 15: *οἷον Ἀθηναῖοι Ὁμήρῳ μάρτυρι ἐχρήσαντο περὶ Σαλαμῖνος καὶ Τενέδιοι ἔναγχος Περιάνδρῳ τῷ Κορινθίῳ πρὸς Σιγειεῖς.*

2) Probatur durum hoc iudicium his p. 748: ,Wider ihn (Apollodor) spricht der Umstand, dass die Lesbier sich nach einem vollständigen Siege schwerlich dazu verstanden haben würden, das wiedergewonnene Gebiet dem besiegten Gegner wieder auszuliefern.

At certissima, quae illorum temporum memoria nobis conservavit, hoc modo neglegi non licet. Levidensis illa Timaei, quam Demetrius iam satis confutavit, narratiuncula omnino nihil valet contra gravissimorum scriptorum cum Apollodori tum Herodoti expressa testimonia, quorum uterque Periandrum Atheniensibus agrum addixisse adfirmat. Sigeum igitur quin illo arbitrio legitime Atheniensium factum sit, dubitari nequit[1]).

Iam unde deflexinus revertamur. Tradiderat Diogenes, ut supra vidimus, Pittacum Phrynone interempto Mytilenaeis territorium amissum recuperasse. Redundavit autem ex iis, quae illic disseruimus, nisi Sigeum tunc territorium nullum in discrimen potuisse venire. Iam vero cum his si Herodoti testimonium: *κατήλλαξε δὲ ὧδε, νέμεσθαι ἑκατέρους τὴν ἔχουσι. Σίγειον μέν νυν οὕτω ἐγένετο ὑπ' Ἀθηναίοισι* conferimus, Sigeum etiam ante ipsum Periandri arbitrium iam in Atheniensium potestate fuisse cogitur. Quod gravissimum summi auctoris testimonium

Ferner giebt die durch Demetrius angefochtene Bemerkung des Timaeus bei Strabon, Periander habe den Lesbiern zum Schutze Achilleion erbaut, wenigstens einen indirecten Beweis dafür, dass Periandros als den Lesbiern geneigt angesehen wurde, was wohl wieder aus dem für die Lesbier günstigen Resultat seines Schiedsspruches gefolgert worden ist.' Pergit igitur statim Schoenius: ,Alles führt zu der Annahme, dass der Sieg des Pittacus die Wiedereroberung von Sigeion zur Folge hatte, und dass, als man später vom Waffenkampfe zu diplomatischen Verhandlungen überging, der Entscheid des Periandros auf Aufrechterhaltung des status quo lautete.' Eandem opinionem vel nuper amplexus est Gustavus Gilbert Griech. Staatsalterth. II (Lips. 1885) p. 163.

1) In eundem atque Schoenius errorem incidit Curtius Gr. G. I⁵ p. 349: ,und nach längeren Streitigkeiten, in welchen Periandros als Schiedsrichter angerufen wurde, behielten beide Theile ihre dortigen Besitzungen; Sigeion aber blieb den Mytilenaeern.' Eduardus Meyer Geschichte von Troas p. 82 ipsorum testimoniorum excutiendorum munus omnino non suscepit: ,Dieselben (die Kämpfe um Sigeion) sind neuerdings von Schöne so erschöpfend behandelt worden, dass ich mich darauf beschränke, die Resultate seiner Untersuchung zu geben.'

(videaris sane tibi ipsius arbitri audire verba)[1]) minime aut labefactari aut conscindi licet. Praeterea autem admodum mirificum est de toto illo Pittaci certamine apud Herodotum omnino exstare nihil. Unde igitur haec inter eum et ceteros scriptores discrepantia et orta et explicanda est?

Refert hoc loco ea ipsa, quae de Pittaci certamine singulari tradita sunt paullo accuratius examinari. Commemoratur res a compluribus quidem scriptoribus, quorum tamen omnium testimonia ineunte imperatorum aetate altius repeti non possunt[2]). Atque si iam ea, quae seriores retulerunt, mittimus,

1) Confer ad haec Herodoti (I, 54) narrationem de Delphorum illo, quo Croeso *προμαντείαν* detulerunt decreto. Schubertus, Geschichte der Koenige v. Lyd. p. 90. Gutschmidius, Goettg. gel. Anz. 1885 p. 236.

2) Diod. IX fr. 18 Bekk. Strab. p. 600. Fest. p. 285 M. Schol. Aesch. Eum. 397. Diog. L. I § 74. Suid. s. v. *Πιττακός*. Plut. de Her. mal. 15. Polyaen. I, 25. Iul. African. s. ol. 36. Euseb. trans. Arm. s. ol. 43, 3. — Equidem minime facere possum, ut violentae et contortae Klüberi argumentationi adsentiar, qui ut totum fere Diodori librum IX, ita adeo hoc fragmentum Ephoro vult vindicare. En eius ipsius argumentationem: conlatis Strabonis et Diodori testimoniis (ceterorum scriptorum nulla habetur ratio) Klüberus l. l. p. 26 sq. inde, quod Strabo Phrynonis morte relato his perrexerit: *μένοντος δ' ἔτι τοῦ πολέμου Περίανδρος διαιτητὴς αἱρεθεὶς ὑπὸ ἀμφοῖν ἔλυσε τὸν πόλεμον*. Diodori vero epitomator agri adsignationem Pittaci victoriae subiunxerit, Diodorum Pittaco et Mytilenaeis indulsisse concludit Ephorumque ab eo exscriptum esse sumit, quippe qui ipse Aeolus foverit Aeolos. At minime ex eo quod agri adsignatio apud Diodorum cum Pittaci victoria copulata est, Diodori auctorem Pittaco potissimum indulsisse concludendum est. Qui nexus rerum omnino ita est consentaneus, ut perversissimum sit in ea re ullam exquirere rationem. Si Valerium Maximum (VI. 5 Ext. 1) inspexisset Klüberus, eum perinde duo illa facta inter se contexuisse reperisset. Diodori illud testimonium unde haustum sit nos iam non magis possumus definire, quam Verri Flacci vel Valerii de hac re narrationes ad certos revocare auctores. Ac valet idem de narratione Straboniana. Nam etsi Strabonem in Troadis descriptione universe quidem Demetrii librum compilasse nemo qui rem accuratius perlustraverit negabit, tamen singula spectanti permulta vel ipsis his partibus occurrunt, quae ad Demetrium nullo pacto possint referri. Flagitabat ipsa libri indoles, ut haud pauca aut de suo aut ex scriptoribus Demetrio

unus, qui contexta narratione illius causae memoriam servavit, reliquus est Strabo. Ceteri eiusdem aetatis scriptores modo obiter rem attigerunt. Iam vero narrationem Strabonianam si acrius perlustramus, haud pauca occurrunt, in quibus summopere offendendum sit. Imprimis Pittaci armatura admodum videtur esse admirabilis. Est enim ille prorsus iisdem armis instructus, quibus retiarii contra myrmillones pugnantes solebant uti. Quod genus armaturae artissime cohaeret cum ipso eorum, qui retiariis opponebantur, adversariorum adparatu. Ferebant enim hi piscis effigiem in[1]) galea, quippe quem reti proiecto peterent retiarii. Ita solum mirae illi retiariorum armaturae aliqua ratio subest. Quod genus pugnandi quo tempore primum divulgatum sit certo non potest describi. Sed ineunte imperatorum aetate armaturam illam iam communi in usu versatam esse et titulis et scriptorum testimoniis satis demonstratur.[2]) Duravere tum certamina illa usque ad ultima imperii Romanorum tempora: sequentibus saeculis eorum memoria saepius a

---

recentioribus petita adiceret Strabo. Itaque permulti loci certo auctori omnino non possunt vindicari, velut ipsa haec de Pittaco narratio, cum ex superioribus temporibus illa de causa ne levissimum quidem exstet vestigium, unde hausta sit, prorsus ignotum est. Omnium ceterorum scriptorum testimonia his temporibus longe sunt recentiora. Scholia Aeschylea quidem vetera, quo tempore composita sint, accurate non potest terminari, sed cum in iis iam Strabonis inveniatur mentio (Prom. 420), ne eorum quidem originem repetierim altius.

1) Verisimillimum est, myrmillones nomen traxisse a pisce *μορμύρος*, cuius figura in ipsorum galea expressa respondebat reti adversariorum. Schol. Iuvenal. VIII, 200 Iahn: mirmillo armaturae Gallicae nomen, ex pisce inditum, cuius imago in galea fingitur.

2) Commemorantur retiarii in duabus inscriptionibus Venusinis (C. I. L. IX, 465 et 466) quas ad ineuntem imperatorum aetatem pertinere vidit Wilmanns Exempla inscr. II, p. 187. Sed probabile est, hoc genus pugnandi ipsum iam aliquanto ante id tempus in usum venisse, praesertim cum contra myrmillones, qui retiariis vulgo opponebantur, iam Licinius Crassus pugnavisse feratur (Flor. III. 20, 12).

scriptoribus et in titulis instauratur.[1]) Iam vero contra, cum retiariorum neque in libris neque in titulis ullam inveniamus mentionem, quae exeuntem aetatem liberae reipublicae excesserit, retiarios, sicut eorum adversarios, myrmillones ipso hoc tempore in usum venisse, a probabilitate non abhorret. Ipsam retiariorum armaturam ex libris et ex monumentis satis habemus cognitam. Imprimis inter eorum arma nimirum rete referendum, a quo ipsum eorum ductum est nomen. Isidorus orig. XVIII, 54: ‚retiarius ab armaturae genere in gladiatorio ludo contra alterum pugnantem ferebat occulte rete,

---

1) C. I. L. VI, 631 multa gladiatorum genera recensentur, inter quae etiam retiarii enumerantur. De epigrammate sepulcrali in retiarium facto Welckerus egit in Sylloga epigr. Gr. p. 58 sq. Alterum eiusdem generis epigramma exstat apud Kaibelium Epigr. Gr. ex lapid. conl. 351. Nonnulla de his rebus congesserunt P. I. Meierus, De gladiatura Romana. Bonnae 1881 et Marquardt-Wissowa, Roem. Staatsverf. III 2 p. 533. I. Labi librum in hac causa consulere non potui, cum adeo bibliotheca Gottingensis eo careret. (Antiq. Monum. Bresciana).

2) Commemoranda hic gemma quaedam antiqua (depicta apud Welckerum, A. D. tab. XVI, 32) quae multos viros doctos exercuit. Fictus est illa in gemma vir, qui sola galea tectus, in saxo sedens gladio se expediturus est ex reti, quo totum eius corpus implicatum est. Ante hominis pedes scutum conspicuum. Qua gemma Winckelmannus (Mon. In. II p. 223) Phrynonem a Pittaco irretitum, Viscontius (Iconogr. Gr. I c. 2 § 6) myrmillonem a retiario impeditum repraesentari sibi persuaserunt. Sed utrumque erravisse Chabuillet (Rev. Archeol. VIII p. 412 sq.) ostendit, qui tamen ipse in eo acquievit, heroicam quandam hic intellegendam esse figuram. Atque etiam Welckerus (A. D. II, p. 333) dubius haesitat, quidnam gemma ista repraesentatum sit. Verisimillimum denique ei videtur, figuram istam ad ignotam quandam narrationem pertinere. Quisnam hic fictus sit ne ego quidem pro certo adfirmaverim, sed cum ipsum rete (plane diversum ab iis, quibus apud Winckelmannum retiarii instructi sunt) forma prorsus accedat ad id, quo Vulcanus Martem et Venerem impediens in gemma quadam Berolinensi expressus est, haud scio an ratio aliqua inter ambo ista opera intercedat. (Toelken, Erklaer. Verz. der vertieft geschn. Steine d. k. Preuss. Gemmensammlung. Cl. III Abth. II u. 399). Quamquam urgere hoc nolo, praesertim cum non plane absit suspicio, quin gemma Berolinensis recentioribus demum temporibus confecta sit.

quod iaculum adpellatur, ut adversarium cuspide insistentem operiret implicitumque viribus superaret.‘ Praeterea retiarium tridente sive fuscina usum esse, multorum et scriptorum et monumentorum testimoniis constat. Adparet autem inter arma retiarii saepissime in monumentis etiam pugio, a nullo scriptore commemoratus ille quidem. (Valer. Maxim. I. 7, 8 retiario tribuit gladium, id quod prorsus nullo testimonio probatur). Iam vero cum hac retiariorum armatura si Strabonis de Pittaci certamine narrationem conferimus, mirus vel primo obtutu comparet consensus. Quin etiam pugio, quo retiarios praeter fuscinam usos essse solis edocemur monumentis, hic inter Pittaci arma recensetur: ὕστερον δ' εἰς μονομαχίαν προκαλεσαμένου τοῦ Φρύνωνος ἁλιευτικὴν ἀναλαβὼν σκευὴν συνέδραμε, καὶ τῷ μὲν ἀμφιβλήστρῳ[1]) περιέβαλε, τῇ τριαίνῃ δὲ καὶ τῷ ξιφιδίῳ ἔπειρε καὶ ἀνεῖλε. Qui consensus sane satis est commemorabilis.

Dixerit forte quispiam miram hanc Pittaci armaturam serioribus demum temporibus confictam et veteriori cuidam de Pittaci certamine narrationi (de qua quidem nullum vestigium invenitur usquam) admixtam esse. At haec suspicio ne levissimam quidem habet probabilitatis umbram, cum in ipsis antiquissimis, quae ista de causa exstant, testimoniis iam permirus ille inveniatur adparatus. Devenit de talibus certaminibus inde a Pittaci aetate per totam insequentium saeculorum seriem usque ad ipsa ea tempora, quibus primum id genus pugnandi usu receptum est nihil ad nos.[2]) Pittacum omnino

---

1) Prorsus eodem instrumento Plutarchus de soll. an. c. 26 μορμύρους pisces capi testatur, a quibus myrmillones, retiariorum adversarii, nomen duxisse perhibentur.

2) Rectissime Welckerus A. D. II p. 332 de Pittaci illo certamine praedicat: ‚Diese Thatsache steht für uns ganz einzeln da im griechischen Alterthum‘. Videtur talis armatura, qualis Pittaco a Strabone et ceteris scriptoribus tribuitur, omnino numquam inter Gaecorum arma militaria fuisse. De tridente hoc satis comprobavit

umquam certamine singulari decertasse ne apud unum quidem scriptorem, aetate ista veteriorem, commemoratum est. Hoc certe respiciendum. Atque Herodotus praesertim, cum res ad ipsum illud Atheniensium bellum pertinentes enucleate enarraret, cur tandem, quaeso, Pittaci illud facinus militare pressit silentio? An in diiudicandis eius causis Plutarcho adsentiemur malignitatis insimulanti Herodotum?

Wieselerus (Ind. schol. Gotting. 1872/73 p. 8 sq.) Nec Diodori locum (XVII. 43) huc licet referri, cum ibi de piscatorum Tyriorum machinis, non de pugnatorum Graecorum armis agatur. Quamquam rete, quod inter Graecorum adparatum venatorium et piscatorium inde ab antiquissimis temporibus fuit, iam apud Homerum per imaginem a feris ad homines opprimendos translatum est (E, 487: *μήπως, ὡς ἁψῖσι λίνου ἁλόντε πανάγρου ἀνδράσι δυσμενέεσσι ἕλωρ καὶ κύρμα γένησθε.*). Hinc vel Agamemnonis illa caedes illustratur, qui apud Aeschylum (Eumen. 438) *ποικίλοις ἀγρεύμασι* interficitur a Clytaemnestra uxore. Quod quidem vix Aeschylo debetur ipsi. Nam ex quo Agamemno per vim femineam mortem invenisse fingebatur, etiam machina ista addita videtur. Itaque in Orestia Stesichorea iam Agamemnonem tali modo occubuisse maximam habet probabilitatem (Robertus, Bild und Lied p. 176). Videmus autem hic eodem adparatu, quo ferae et pisces solebant irretiri (Ag. 1389: *ἄπειρον ἀμφίβληστρον ὥσπερ ἰχθύων.* Ch. 998: *ἄγρευμα θηρὸς*), perire hominem. Itaque Orestes Aeschyleus id ipsum, quo Agamemno pater modo erat interemptus, instrumentum tantum quod commendat praedonibus, quippe quorum animos maxime iuvet quam plurimos interfecisse homines (Ch. 1001). Quod cogitatione facillime potuit fingi, quippe cum ipsa furtiva hac machinatione modo mortem invenisset Agamemno. Minime igitur hinc licet concludi Aeschyli temporibus praedones re vera eiusmodi instrumentis latrocinia sua exercuisse. Redundat immo ex omnibus, quae apud Aeschylum proferuntur, talem retium usum tum fuisse insolentissimum. Utuntur quidem apud Herodotum (VII, 85) adparatu haud ita dissimili (*σειρῇσι πεπλεγμένῃσι*) Sagartii, *τινὲς νομάδες ἄνθρωποι* (idem de Sauramatis tradit Paus. I. 21, 8), at ut Orestes Aeschyleus mirum istud, quo pater occisus erat, instrumentum quo nomine adpellet vel cum qua re comparet, haeret incertus (Ch. 997 sq.), ita vel Herodotus ipsum illud genus pugnandi tamquam Graecis insolitum denotat. Ipsum rete tali modo iam umquam usurpatum esse neque Herodoto neque Aeschylo (quem quidem rerum Sigearum Herodoto non minus fuisse ignarum eadem edocemur trilogia) innotuisse videtur. Ex Hesychii glossa s. v. *ἐπισπάσει*, cum quo spectet prorsus ignotum sit, ad hanc quaestionem adfluit nihil.

Quamquam rerum antiquarum investigatores Romani ipsum Pittaci certamen singulare ad retiariorum illas pugnas instituendas ansam dedisse adseruerunt, velut etiam mirum illud Herodoti silentium, ut aliquomodo illustrarent, iam homines veteres se torserunt. At valde dubito, num Verrius Flaccus, cum armaturae illius originem a Pittaco duxerit, inter eos, quorum iudicium aliquid valet, ullum inventurus sit subscriptorem.[1]) Mihi quidem ex eiusmodi testimonio (Fest. p. 285 M): ,Hoc autem genus pugnandi institutum videtur a Pittaco, uno ex septem sapientibus, qui adversus Phrynonem dimicaturus propter controversias finium, quae erant inter Atticos et Mytilenaeos, rete occulte lato impedivit Phrynonem' nihil redundare videtur, nisi veteres homines doctos operam suam in illustranda origine novorum illorum certaminum collocasse. Adparet enim liquido ipsa narrationis ratio ut ex Festi testimonio, ita vel optime ex Polyaeno (I. 25), qui eodem illo certamine descripto eadem fere sub finem adicit: οἷον καὶ νῦν οἱ μονομαχοῦντες λίνον ἔχουσι, Πιττακὸς ἐδίδαξεν. Iam vero cum ante ipsa haec tempora prorsus nihil de tali Pittaci certamine innotuerit, nescio an ita multum a vero aberremus, si totam illam rem eo demum tempore, quo retiariorum armatura inciperet celebrari novo huic generi pugnandi tamquam materiam subiectam esse suspicamur?[2]) Cuius translationis origo

1) Cui Iustum Lipsium adstipulatum esse miror (Saturn. serm. II p. 99: ,Origo et exemplum eius (retiarii) armaturae non dubie a Pittaco, qui inter sapientes. Ita enim ille ex provocatione cum Phrynone pugnavit'). Aliter rem interpretatus est Isidorus orig. XVIII c. 55: ,Haec armatura sacrata erat Vulcano. Ignis enim semper aquam insequitur: ideoque cum retiario componebatur, quia ignis et aqua semper inimica sunt.'

2) Ipsa hominum veterum consuetudo, institutiones suas ac mores variis rebus a summa antiquitate repetitis et illustrare et comprobare, tritior mihi videtur esse, quam quae hic pluribus exponatur verbis. Sufficit unius admonuisse Callimachi, quem in

haud scio an posita fuerit in tropica aliqua poetarum Graecorum dictione, quos ad imagines rem venatoriam vel piscatoriam continentes quam libentissime adspirasse permultis edocemur exemplis.[1]) Quid si eiusmodi versus: ἅτ' ἐπὶ Τροίας πύργοις ἔβαλες στεγανὸν δίκτυον sq. (Aesch. Ag. 344) vel consimiles, quibus Pittaci aliquod factum forte persecutus erat vel Alcaeus vel alius poeta, ansam dederunt ad eius narratiunculae fictionem, qua retiariorum originem seriore aetate illustrabant antiquarii Romani? Quod si recta est suspicio haec nihil admirabimur, quod ipso retiariorum adparatu uti videmus Pittacum. Explicatur autem hinc etiam mirificum illud Herodoti silentium nec non explanantur hoc modo facillime omnes inter eum et posteriores scriptores discrepantiae. Iam vero quaenam ipsa ea res fuerit, quae narrationi nostrae subiecta sit, me iudice exputari iam non potest, praesertim cum ne Herodotus quidem, peritissimus istarum rerum testis, ullam nobis praebeat ansam. Sed iam subsisto. De narrationis origine alii haud scio an iudicent aliter: ad res gestas tamen restituendas ea nequaquam utendum esse, fore ut concedatur spero.

Ceterum ad diiudicandum ipsam eam, quam nobis proposuimus, quaestionem, sitne falsa an recta opinio mea omnino non attinet, cum id quod addidit Diogenes, Pittacum Mytilenaeis victoria sua territorium amissum recuperasse, vel per se nullo pacto factum esse possit. Cohaeret tota haec quaestio artissime cum agri illa adsignatione, quam post Pittaci

---

primo Aetiorum libro variorum agonum et certaminum causas prorsus eadem ratione tractavisse satis ex eius fragmentis conspicuum est (Schneider, Call. II p. 35—78). Quod Pittaci certamen singulare attinet, commemorabile vel hoc est, quod inter myrmillonum adversarios perinde ac retiarii Threces a veteribus scriptoribus recensentur.

1) Congessit eius generis complura Welckerus A. D. II p. 335.

victoriam habitam esse accepimus. Spectat huc imprimis testimonium Diodori,[1]) qui Pittaco eius agri partem, de quo cum Phrynone decertavisset, a civibus adsignatam esse testis est IX fr. 18 Bekk. *ὅτι τῶν Μυτιληναίων διδόντων τῷ Πιττακῷ τῆς χώρας, ὑπὲρ ἧς ἐμονομάχησε τὴν ἡμίσειαν οὐκ ἐδέξατο* sq Quaeritur, quaenam fuerit *χώρα* illa, de qua contenderit Pittacus? Achilleum isto bello in controversiam omnino non cecidisse, supra demonstratum est. Relinquitur igitur solum Sigeum. Ac congruit quidem hoc planissime cum Diogenis narratione, qui idem territorium, quod illo certamine in discrimen venisset, postea Atheniensibus adiudicatum esse, testem adfert Apollodorum.[2]) Periandri vero arbitrio Sigeum legitime Atheniensium factum esse certo constat. Tradit vero Herodotus expressis verbis, Sigeum ante ipsum arbitrium iam in Atheniensium potestate fuisse. Sequeretur igitur, si Diogenis de Pittaci recuperatione narrationem cum Herodoti testimonio conglutinaremus, Athenienses ante ipsum Periandri arbitrium Sigeum denuo Mytilenaeis eripuisse. Hoc autem quam parum sit verisimile patet nec quisquam memoriae id prodidit umquam. Praeterea vero quotusquisque, quaeso, sibi persuadebit, cum ipsum agrum, quem bello recuperavissent Mytilenaei, in arbitrio addictum esse Atheniensibus? Iam vero cum Periandro arbitro Sigeum in Atheniensium dicionem venisse constet, Mytilenaeorum adsignationem inter ipsam Pittaci victoriam et Periandri arbitrium cecidisse necessarium est. Hoc autem omni caret probabilitate. Nam Mytilenaeos, dum ipsum bellum gereretur (Strab. p. 600: *μένοντος δ' ἔτι τοῦ πολέμου*

1) Perstrinxit rem etiam Plutarchus de Her. mal. c. 15 et praec. rei publ. ger. c. 27.

2) Expressit eandem rem Polyaenus (I. 25) ita: *καὶ Σίγειον τοῖς Λεσβίοις τῷ λίνῳ ἐθήρευσεν* sc. *Πιττακός*.

Περίανδρος διαιτητὴς αἱρεθεὶς ὑπὸ ἀμφοῖν ἔλυσε τὸν πόλεμον) agrorum adsignationem decrevisse ne levissimam quidem habet veritatis speciem. Testantur praeterea cum Diogenes (I § 75) tum Plutarchus (de Her. mal. c. 15) agrum istum, quem cives Pittaco tribuerint, usque ad ipsorum tempora Πιττάκειον audire, id quod aegre quadrat in territorium, quod protinus post eam, quae ferebatur adsignationem Atheniensium factum esse constat. Redundat affatim ex omnibus his, ante Periandri arbitrium Mytilenaeos agrum Sigeum neque recuperare nec civibus suis adsignare potuisse.

At habemus etiamnunc, unde satis adpareat, quo tota memoria ista revocanda sit. Cohaeret Mytilenaeorum adsignatio apud Diogenem arte cum ipsa Pittaci aesymnetia, quam ei propter res bello Attico bene gestas obtulisse feruntur Mytilenaei. Quod rectum esse nequit. Nam solum temerariae Diogenis compilationi tribuendum est, quod ea, quae initio § 75 leguntur Τότε δ' οὖν τὸν Πιττακὸν ἰσχυρῶς ἐτίμησαν οἱ Μυτιληναῖοι, καὶ τὴν ἀρχὴν ἐνεχείρησαν αὐτῷ sq. narrationi de bello Attico subiuncta sunt. Comparet Diogenis error vel optime, si haec de Pittaci honoribus et imperio testimonia cum eis, quae infra (§ 79) de eius aetate ac morte scripta sunt, conferimus. § 75 verba quo pertineant gravissimis Aristotelis et Theophrasti testimoniis edocemur. Aristot. Pol. III. 9, 5: ἦρχον δ' οἳ μὲν διὰ βίου τὴν ἀρχὴν ταύτην (αἰσυμνητείαν) οἳ δὲ μέχρι τινῶν ὡρισμένων χρόνων ἢ πράξεων, οἷον εἵλοντό ποτε Μυτιληναῖοι Πιττακὸν πρὸς τοὺς φυγάδας ὧν προειστήκεσαν Ἀντιμενίδης καὶ Ἀλκαῖος ὁ ποιητής. Dion. Hal. A. R. V, 73: οἱ γὰρ αἰσυμνῆται καλούμενοι παρ' Ἕλλησι τὸ ἀρχαῖον, ὡς ἐν τοῖς περὶ βασιλείας ἱστορεῖ Θεόφραστος, αἱρετοί τινες ἦσαν τύραννοι· ᾑροῦντο δ' αὐτοὺς αἱ πόλεις, οὔτ' εἰς ἀόριστον χρόνον, οὔτε συνεχῶς, ἀλλὰ πρὸς τοὺς καιρούς, ὁπότε δόξειε συμφέρειν καὶ εἰς πόσον χρόνον· ὥσπερ καὶ Μυτιληναῖοί ποτε

εἵλοντο Πιττακὸν πρὸς τοὺς φυγάδας τοὺς περὶ Ἀλκαῖον τὸν ποιητήν.[1]) Cogitur ex locupletissimis horum scriptorum testimoniis, ea quae apud Diogenem de Pittaci imperio et honoribus scripta sunt, cum bello Attico omnino non cohaerere, sed ad posterius illud, quod contra exules gerebatur, bellum pertinere.

Exulibus devictis in ipsa Lesbo insula novae agrorum adsignationes factae videntur. Huc spectant, quae apud scriptores de agro illo Pittacio et de tyranni innocentia tradita sunt. Cuius rei antiquissimam memoriam apud Sosicratem[2]) invenimus, qui etiam Pittaci dicti genuinam formam conservavit (Diog. L. I § 75) τὸ ἥμισυ τοῦ παντὸς πλεῖον (cf. Hesiod. ἔργα 40). Hinc postero tempore ea, quae Diodorus habet (τὸ ἴσον ἐστὶ τοῦ πλείονος πλεῖον) confecta sunt.[3]) Omnino autem singulorum scriptorum de hac causa testimonia[4]) si acrius perlustra-

---

1) Congruit cum his luculenter locus Strabonianus p. 617: *Πιττακὸς δ' εἰς μὲν τὴν τῶν δυναστειῶν κατάλυσιν ἐχρήσατο τῇ μοναρχίᾳ καὶ αὐτὸς, καταλύσας δὲ ἀπέδωκε τὴν αὐτονομίαν τῇ πόλει.* De ulla Mytilenaeorum largitione, post Pittaci certamen singulare facta, apud Strabonem nihil exstat. Relata Pittaci victoria ille subinde his pergit: *μένοντος δ' ἔτι τοῦ πολέμου Περίανδρος διαιτητὴς αἱρεθεὶς ὑπὸ ἀμφοῖν ἔλυσε τὸν πόλεμον.*

2) De eius aetate: H. Diels, M. Rh. XXXI p. 20 sq.

3) Haec admodum prave accepit Klüberus l. l. p. 26.

4) Cum enim apud Diogenem (I § 75) Mytilenaei universe Pittaco agrum attribuisse dicantur, Diodorus (IX fr. 18 Bekk.) et Valerius Maximus (VI, 5 Ext. 1) agri recuperati dimidiam partem a civibus ei oblatam esse referunt. Iam vero alia memoriae mandaverunt Cornelius Nepos et Plutarchus, quorum ille (Thras. 4) multa milia iugerum, hic (praec. rei publ. ger. c. 27) quantum Pittacus voluisset ipse, cives ei adsignasse perhibet. Nec magis sibi constant, quae de Pittaco ipso tradita sunt, quem alii alia usum esse ratione testantur. Ita Diogenes Pittacum dis totum agrum vovisse, Sosicrates aequas partes singulis civibus adsignasse, Plutarchus tantum modo agri sibi sumpsisse, quantum hastae ictu contingere potuisset, Nepos centum iugera, Valerius denique eum omnino ab illo munere se abstinuisse refert. Iam vero cum inter dispersa haec singulorum scriptorum testimonia prorsus nulla intercedat ratio, ad certos auctores ea revocare nequeo.

verimus, certi quidquam numquam ea de causa constitisse videbimus. Quaecumque de illa adsignatione devenerunt ad nos, mirum quantum inter se discrepant. Etenim videtur vel hoc aliquid ad narratiuncularum illarum conformationem valuisse, quod Pittacus postea inter septem illos renumerabatur. Itaque quantum veri, quantum falsi singulis his testimoniis contineatur perdifficile est diiudicari. Hoc tamen ex omnibus iam satis mihi redundare videtur, inter eum agrum, quem Pittaco tradidisse ferebantur Mytilenaei et Asiaticam illam Atheniensium possessionem nullam umquam intercessisse rationem.

Omnino postero tempore ut Mytilenaeorum adsignatio (Diod.), ita vel ipsa Pittaci tyrannis cum eius rebus bello Attico praeclare gestis a scriptoribus copulata est. Cernitur hoc vel optime ex Valerii Maximi narratione[1]), qui non solum cum gravissimis Aristotelis et Theophrasti testimoniis, verum etiam cum Herodoto plane dissentit VI, 5 Ext. 1: ‚Verum ne alienigenae iustitiae obliti videamur, Pittacus Mytilenaeus, cuius aut meritis tantum cives debuerunt aut moribus crediderunt, ut ei suffragiis tyrannidem deferrent, tamdiu illud imperium sustinuit, quamdiu bellum de Sigeo cum Atheniensibus gerendum fuit. Postquam autem pax victoria parta est, continuo reclamantibus Mytilenaeis deposuit, ne dominus civium ultra quam reipublicae necessitas exegerat permaneret. Atque etiam cum recuperati agri dimidia pars consensu omnium offerretur, avertit animum ab eo munere, deforme iudicans virtutis gloriam magnitudine praedae minuere.‘ Hinc vel Diodori error aliquomodo illustratur. Videtur ipsius adsignationis memoria inter

1) Seriores scriptores (velut Isidorus Pelusiota V, 6) quidquid de hac re confuse congesserunt in hac quaestione iusto iure possunt omitti.

omnes constitisse: eius causae autem postero tempore a scriptoribus confundebantur.

Atque ut iam breviter comprehendam, haec fere sunt quae de bello inter Athenienses et Mytilenaeos gesto clariore historiae luce mihi videantur collustrari. Circa septimi et sexti saeculi confinia Phrynone duce Atheniensium colonia in Troadem deducitur, quam eo tempore Aeolii Lesbii obtinent. Iuri possessorum legitimorum Athenienses variarum fabularum rationes opponunt, quarum frusta etiamnunc hinc illinc investigari possunt. Contingit Atheniensibus, ut Sigeo oppido munito potiantur, unde Mytilenaeos crebris vexant invasionibus. Mytilenaei, ut hostes arceant his demum, ut videtur, temporibus Achilleum castellum extruunt. Certatur tum satis diu et acriter utrimque. Quarum pugnarum unica memoria Alcaei carmine servata est, qui quam bello accepit calamitatem versibus mandavit. Sitne Pittacus in his pugnis cum Atheniensium duce certamine singulari congressus, in medio relinquo. Iam vero cum neutri neutris cederent possessione, finium controversia arbitrio dirempta est. Periander Corinthius, Cypseli filius, arbitri partes suscipiens utrosque id, quod tunc ipsum tenerent, servare decrevit. Accipimus Sigeum ita in Atheniensium possessionem venisse. Achilleum retinuerunt Mytilenaei. Certiora de Periandri arbitrio — velut quatenus ad Tenedum insulam pertinuerit — nescimus.

Atheniensium imperium quo tempore his regionibus exstinctum sit non traditum est. Sed cum medio fere saeculo sexto paene totam istam oram maritimam Persarum copiae inundarent, tum etiam Atheniensium dominationi finem impositum esse satis verisimile est. Itaque quoniam litterarum monumentis plane destituti sumus, plura his de causis proferre nec licitum est neque hoc loco libet, cum homines recentiores, quae alii aliter

his de rebus divinaverunt recoqui parum referat. Constat hoc unum, eo tempore, cum Athenienses iterum his regionibus oculos suos adverterent, Mytilenaeos iam rursus oram istam sibi vindicavisse.

Itaque iam transeo ad alteram Atheniensium occupationem, quam Pisistrato duce factam esse Herodotus perhibet V. 94: Ἱππίῃ δὲ ἐνθεῦτεν (e Lacedaemone) ἀπελαυνομένῳ ἐδίδου μὲν Ἀμύντης ὁ Μακεδὼν Ἀνθεμοῦντα, ἐδίδοσαν δὲ Θεσσαλοὶ Ἰωλκόν· ὁ δὲ τούτων μὲν οὐδέτερα αἱρέετο, ἀνεχώρεε δὲ ὀπίσω ἐς Σίγειον, τὸ εἷλε Πεισίστρατος αἰχμῇ παρὰ Μυτιληναίων, κρατήσας δὲ αὐτοῦ κατέστησε τύραννον εἶναι παῖδα τὸν ἑωυτοῦ νόθον Ἡγησίστρατον, γεγονότα ἐξ Ἀργείης γυναικός, ὃς οὐκ ἀμαχητὶ εἶχε τὰ παρέλαβε παρὰ Πεισιστράτου. Quod bellum quo tempore incohaverit Pisistratus, homines docti valde dissentiunt, velut Schoenius l. l. p. 749 Pisistrati facinus militare ipsi initio eius tyrannidis vindicat (ca ol. 55—57), Curtius Gr. G. I^5 p. 349 Sigei expugnationem ad alterum tyranni exilium, Dunckerus G. d. A. VI^5 p. 467 denique ad tertiam eius tyrannidem revocat.[1])

Equidem postquam veterum scriptorum quae huc faciunt testimonia accuratius excussi, quaestionem hanc, cum sola probabilitate niti liceat ad liquidum omnino posse perduci negaverim. Attamen nonnulla quidem aliquanto expressius, quam adhuc factum est, certe possunt adumbrari.

Schoenii sententiam caducam esse ex eis, quae Herodotus de prioribus Pisistrati imperiis retulit, satis elucet I, 60: Μετὰ δὲ οὐ πολλὸν χρόνον τὠυτὸ φρονήσαντες οἵ τε τοῦ Μεγακλέος στασιῶται καὶ οἱ τοῦ Λυκούργου ἐξελαύνουσί μιν· οὕτω μὲν Πεισίστρατος ἔσχε τὸ πρῶτον Ἀθήνας καὶ τὴν τυραννίδα οὔκω κάρτα ἐρ-

---

1) Busoltius Gr. G. I p. 563 huius belli tempus accuratioribus terminis omnino non descripsit.

ῥιζομένην ἔχων ἀπέβαλε. Hoc tempore eum ad externas expugnationes non potuisse adspirare apertum est. Pisistratum tunc imperio deiectum in ipsa terra Attica remansisse, inde cernitur, quod Herodotus in describendo altero tyranni exilio (quo Eretriam se contulit ille) expressis verbis addidit ἀπαλλάσσετο ἐκ τῆς χώρης τὸ παράπαν. Nec magis Pisistratum, cum iterum imperio potitus esset, rebus externis operam potuisse navare, si temporis angustias reputaverimus, adparebit. Refert enim Herodotus (I, 61) Pisistratum cum Megaclis filia, quam in matrimonium duxerit, rite concumbere noluisse. Qua re patefacta Megaclem continuo cum ceteris factionibus in gratiam rediisse Pisistratumque terra Attica exturbasse.

Iam venio ad Curtium, qui haec habet Gr. G. I[5] p. 349: ‚Dies Ereigniss (Eroberung Sigeums) muss der ersten Zeit seiner Tyrannis angehören, und deshalb ist es nicht unwahrscheinlich, dass es in jene Jahre fällt, wo Pisistratos von Euboia aus mit seinen Schiffen und Freischaaren die nördlichen Meere durchfuhr.‘ Pisistratus recesserat Eretriam. Hic eum consilio cum filiis habito per spatium decem annorum ad tyrannidem Athenis recuperandam undique opes conlegisse Herodotus testis est. Adiuvarunt Pisistratum cum alii tum Thebani pecunia, mercennariis Argivi suppeditavitque sponte Lygdamis, homo Naxius, et milites et opes (Herod. I. 61). Quos omnes dominationis paucorum fuisse studiosos, quippe quorum maxime interesset, Pisistratum quam primum Athenas reverti, satis consentaneum est. Aliter summum illud, quod praedicat Herodotus, amicorum studium declarari omnino nequit. Iam vero si Pisistratus tum ad novum quoddam imperium in Asia constituendum incubuisset, omnes hos tam promptis animis eius consilia prosecuturos fuisse vel per se parum veri simile est. Neque etiam Herodotum scripturum fuisse

crediderim μετὰ δὲ, οὐ πολλῷ λόγῳ εἰπεῖν, χρόνος διέφυ καὶ πάντα σφι ἐξήρτυτο ἐς τὴν κάτοδον, si Sigei occupationem in ipsum hoc tempus incidisse ei innotuisset. Curtius videlicet eo, quem Schoenius commisit, implicatus est errore. Nam Curtii opinio, Sigei expugnationem in prima Pisistrati tyrannidis tempora reiciendam esse (p. 349), non nisi prava Schoenii argumentatione nititur[1]), qui ut Alcaeus poeta huic bello possit inseri, totum bellum nimirum quam potest maxime removet. Sed Schoenianam in constituenda Alcaei aetate rationem iam satis et redarguit et verberavit Rohdius. Hinc igitur ad corroborandam Curtii sententiam adfluit nihil.

Immo prorsus habemus testimonium, ex quo Sigei recuperationem omnino non ad priora Pisistrati tempora licere referri, si non plane efficitur, attamen satis probabile fit. Leguntur enim apud Plutarchum haec (Cat. mai. 24): Ταύτην δὲ τὴν γνώμην πρότερον εἰπεῖν φασι Πεισίστρατον, τὸν Ἀθηναίων τύραννον, ἐπιγήμαντα τοῖς ἐνηλίκοις παισὶ τὴν Ἀργολίδα Τιμώνασσαν, ἐξ ἧς Ἰοφῶντα καὶ Θεσσαλὸν αὐτῷ λέγουσι γενέσθαι.[2]) Quam Ἀργολίδα Τιμώνασσαν aequandam esse cum Argiva illa femina, ex qua Pisistratus filium Hegesistratum sustulit, (Herod. V. 94) maximam habet probabilitatem, cum Pisistratum bis Argivam feminam in matrimonium duxisse nec traditum nec verisimile sit. Quamquam apud Plutarchum Timonassae filii adpellantur Thessalus et Iopho. Thessalus etiam aliunde satis notus est.[3]) De Iophonte vero, Pisistrati filio, praeter Plutar-

---

1) Cf. ipsa Curtii verba Gr. G. I[5] p. 351.

2) Eodem spectant quae apud Plutarchum scripta sunt in Apophthegm. Pisistr. 5 et de frat. am. c. 6.

3) Fecerunt praeterea eius mentionem Thuc. I, 20. II, 55. Theophr. h. plant. II. 3, 3. Heraclid. πολ. p. 4 Schneidew. qui locus sanequam laceratus est. Uberrimus testis Diodorus X fr. 39 Bekk. *ὅτι Θετταλὸς ὁ Πεισιστράτου υἱὸς σοφὸς ὑπάρχων ἀπείπατο τὴν τυραννίδα, καὶ τὴν ἰσότητα ζηλώσας μεγάλης ἀποδοχῆς ἠξιοῦτο παρὰ τοῖς πολίταις.*

chum nemo antiquus scriptor quidquam memoriae prodidit umquam. Movet omnino ille haud leviter suspicionem, nisi forte aut Plutarchum hic confusionis arguere aut scribae manum peccasse sumere malumus[1]). Sed utut se haec res habet, quin Plutarchi Ἀργολὶς Τιμώνασσα eadem sit, atque Herodoti illa Ἀργείη γυνή vix quisquam, opinor, dubitabit. Quam quidem quo tempore in matrimonium duxerit Pisistratus ignoramus, etsi ei in altero exilio cum Argivis rationes intercessisse constat.[2]) Sed hinc ad nuptiarum tempus nimirum nihil licet concludi. Quod ex Plutarchi testimonio lucramur, hoc unum est, Pisistratum filios iam habuisse adultos, cum Argivam istam in matrimonium duceret. Iam vero Hippiam et Hipparchum Pisistrati filiorum natu fuisse maximos constat.[3]) Quos Pisistratus ite-

1) Accepimus a veteribus ipsis, Pisistrati filios numero fuisse quattuor: Schol. Aristoph. Vesp. 502. (Lys. 619). Plutarchum autem in iis quoque, quae de Charmo Pisistrati amasio tradidit, turpiter erravisse manifestum est (Sol. c. 1). Omnino Pisistrati filiorum memoria apud posteriores scriptores admodum mutabilis et infirma est, velut apud Iustinum Hipparchi partes suscepit Diocles quidam (II, 9): ‚Post eius (Pisistrati) mortem Diocles, alter ex filiis, per vim stuprata virgine a fratre puellae interficitur.' F. Rühl, N. Jahrb. f. Philol. S. B. VI p. 132.

2) Hoc ex Herodoti testimonio colligi potest I, 61: *καὶ γὰρ Ἀργεῖοι μισθωτοὶ ἀπίκοντο ἐκ Πελοποννήσου.* Praeter haec de ea re exstat nihil. Dunckerus G. d. A. VI[5] p. 461: ‚Nach seiner zweiten Vertreibung war Pisistratus nach Argos gegangen. Er knüpfte hier Verbindungen an und führte ein Weib aus Argos, die Timonassa in 3-ter Ehe heim.' De Hegesistrato ille contendit hoc l. l. p. 467: ‚Hegesistratus ist der aelteste Sohn des Pisistratus und der Timonassa von Argos.' Quarum rerum notitiam unde perceperit Dunckerus exputare nequeo.

3) De eorum matre certi nihil notum est. Dunckerus enim, cum in diiudicanda hac quaestione ad Schol. Aristoph. Eq. 449 provocaret, in errorem incidit (G. d. A. VI[5] p. 455). Fit enim in scholio illo Myrrhinae cuiusdam mentio, quam Pisistratus, cum tyrannidem adfectans curru reverteretur Athenas, ipsam Minervam deam esse simulaverit. Quae femina in scholio Pisistrati uxor, Hippiae et Hipparchi mater vocatur. Sed hoc rectum esse nequaquam potest. Quippe tota distortio et depravatio inde orta videtur, quod scholiasta eius ipsius, quem commentabatur poetae verba parum intellexit. Aristophanis versus (Eq. 449) *τῶν Βυρ-*

rum rerum potitus iuvenes adpellat ipse (Herod. I, 61), id quod fere 554—553 fuisse infra patescet. Paullo post igitur Pisistratus iam Argivam illam feminam in matrimonium duxisse potest (Plut. Cat. mai. 24). Quod si statuimus, Hegesistratus 534—533 circiter 20 annos natus fuerit. Pisistratum autem, ubi primum Sigeo potitus esset, filium suum constituisse tyrannum ex Herodoti verbis elucet: *κρατήσας δὲ αὐτοῦ κατέστησε τύραννον εἶναι παῖδα τὸν ἑωυτοῦ νόθον Ἡγησίστρατον.* Efficitur igitur hinc terminus, ante quem illud, quod Herodotus describit bellum finitum esse non potest. 528 iam tyrannus senex

---

σίνης τῆς Ἱππίου quomodo accipiendus sit, scholiasta rectius vidit Hesychius s. v. *Βυρσίνης· Μυρρίνης· ἦν δὲ αὕτη γυνὴ Ἱππίου τοῦ τυράννου· ἐν τοῖς Ἱππεῦσι.* Adparet ex his Myrrhinam non Pisistrati, sed Hippiae fuisse uxorem, id quod optime comprobatur testimonio Thucydideo II, 55: *Ἱππάρχου οὐδεὶς παῖς γέγραπται, Ἱππίου δὲ πέντε, οἳ αὐτῷ ἐκ Μυρρίνης, τῆς Καλλίου τοῦ Ὑπεροχίδου θυγατρὸς ἐγένοντο.* Iam vero quae de Myrrhina refert scholiasta, ea vel de alia virgine tradita sunt: Herodotus I, 60 Phyam quandam, pagi Paianiensis mulierem in morem Minervae ornatam Pisistratum Athenas reduxisse perhibet. Eadem narratio repetita est apud Valer. Maxim. I. 2, 2 (Polyaenus I. 21, 1 hunc Pisistrati reditum cum altero perperam commiscuit). Praeterea ex octavo Clidemi Nostorum libro (Athen. p. 609) comperimus, Phyam hanc Socratis cuiusdam filiam fuisse eandemque postea a Pisistrato Hipparcho filio in matrimonium datam esse. Hoc confusionis ansam praebuisse videtur scholiastae ignaro, qui ut Myrrhinam, Hippiae coniugem, temere consociavit cum Pisistrato patre, ita in eam transtulit, quae non nisi ad Hipparchi istam uxorem pertinerent. Omnino patris et filiorum res quatenus inter se permutatae sint vel ex proxima Athenaei (p. 609) narratione adparet, quae nescio an ad eundem Clidemum revocanda sit: *Καὶ Χάρμου τοῦ πολεμαρχήσαντος θυγατέρα ἔλαβεν Ἱππίᾳ, περικαλλεστάτην οὖσαν, τῷ μετ' αὐτὸν τυραννεύσαντι. Συνέβη δὲ, ὥς φησι, τὸν Χάρμον ἐραστὴν τοῦ Ἱππίου γενέσθαι, καὶ τὸν πρὸς Ἀκαδημίᾳ Ἔρωτα ἱδρύσασθαι πρῶτον, ἐφ' οὗ ἐπιγέγραπται* sq. Fide dignius nihil potest esse comprobaturque atthidographi testimonium loco Pausaniae I. 30, 1, cuius quidem oculi ipsum epigramma non inspexerunt: *Πρὸ δὲ τῆς ἐσόδου τῆς ἐς Ἀκαδημίαν ἐστὶ βωμὸς Ἔρωτος ἔχων ἐπίγραμμα, ὡς Χάρμος Ἀθηναίων πρῶτος Ἔρωτι ἀναθείη.* Quae narratio quam stolide postero tempore infuscata sit, probe cernitur ex Plutarcho (Sol. c. 1): *Λέγεται δὲ καὶ Πεισίστρατος ἐραστὴς Χάρμου γενέσθαι καὶ τὸ ἄγαλμα τοῦ Ἔρωτος ἐν Ἀκαδημίᾳ καθιερῶσαι.* — Phyam postero tempore ob illam causam ab Atheniensibus dam-

obit mortem (Thuc. VI, 54).[1]) Cadit igitur militare istud facinus in hos 6 supremos Pisistrati tyrannidis annos. Certiore termino Sigei recuperatio circumscribi nequit, velut etiam bellum ipsum quo tempore occeperit nescimus. Iam vela contraho. Devenimus ad eadem fere tempora, quibus Dunckerus quoque Sigei expugnationem adsignat, h. e. ad ultimam Pisistrati tyrannidem. Quamquam ipsam viam, qua Dunckerus illuc progressus est, equidem nec probare possum nec commendare, cum ille ut saepius ita vel hic singulorum testimoniorum inter se conciliandorum nimis videatur fuisse studiosus. Tamen quod ille effecit probo.

Atque conveniunt ea, quae computatione invenimus luculentissime cum ipsis rerum conditionibus. Ex eo, quod Pisistratus Asiaticam illam possessionem filio suo spurio tradere potuit, eius ipsius imperium eo tempore iam satis munitum et confirmatum fuisse comparet. Et profecto Herodoto teste Pisistratus τὸ τρίτον σχὼν Ἀθήνας ἐρρίζωσε τὴν τυραννίδα ἐπικούροισί τε πολλοῖσι καὶ χρημάτων συνόδοισι, τῶν μὲν αὐτόθεν, τῶν δὲ ἀπὸ Στρυμόνος ποταμοῦ συνιόντων (I, 64). Incidunt in hoc tempus omnino externae Pisistrati res gestae velut Deli lustratio et

natam esse, Hermogenes π. εὑρέσεων I. 3, 21 Speng. refert: Ἡ Φύη μετὰ τὴν κατάλυσιν τοῦ Πεισιστράτου κρίνεται δημοσίων ἀδικημάτων. cf. etiam schol. Maximi Planudis ap. Walzium Rh. G. V p. 378. Feceritne eius mentionem etiam Phylarchus nescio, cum apud Athenaeum distinctio formarum φασί et φησί soli lectoris arbitrio permissa sit. Notatu dignum vel hoc est, in scholio ad Demosth. Aristocrat. (Bulletin de corresp. Hellèn. 1877 p. 138) mentionem fieri Myrrhinae cuiusdam, Pisistrati filiae, quae post tyrannos exactos interfectoris manu invenerit mortem: οὐκ ἐξῆν μέντοι οὐδὲ τῷ δικαίως ἀνελόντι Ἀθήνησιν οἰκεῖν. Τοῖς γοῦν Μυρρίνην τὴν Πεισιστράτου θυγατέρα ἀνῃρηκόσι καὶ ἄλλας τινὰς ἐψηφίσαντο δωρεὰς καὶ πολιτείαν, (id quod restituo pro codicis scriptura: καὶ ἄλλους τινὰς ἐψηφίσαντο πολιτείαν καὶ δωρεάν) ἐκελεύσθησαν δὲ ὅμως ἐν Σαλαμῖνι οἰκεῖν. Quod quidem parum pie erga eum factum est, cui maxime insulae huius possessionem debebant Athenienses.

1) Uberiora de hoc anno infra.

expugnatio Naxi insulae. Quibus omnibus res domesticas tum bene fuisse comparatas adprobatur. Itaque non erat dubitandum, quin imperium quiete transiturum esset ad Hippiam filium. Hoc certe persuasum habuit tyrannus, cum Sigeum non Hippiae, sed Hegesistrato committeret, nescius ille quidem illic domus suae imperium longius duraturum esse, quam Athenis ipsis. Atque ut rebus bello Salaminio praeclare gestis Pisistratus iuvenis primum civium oculos in se converterat, ita Sigei recuperatio iam supremum senis facinus militare fuisse videtur. Quamquam Salaminis comparatio valde differt ab hac Sigei expugnatione. Cum enim Salamis extemplo rei publicae Atticae cleruchia facta sit, Sigeum sibi ipsis vindicaverunt Pisistratidae. Huc qui et Athenis et Lacedaemone expulsus erat se recipere potuit Hippias. Iam vero Pisistratidae quamdiu possessionem hanc obtinuerint nescimus, cum usque ad ea tempora, quibus Sigeum in tributorum laterculis recensetur, prorsus nulla eius oppidi memoria devenerit ad nos. [1])

---

1) Ipsis his Pisistratidarum temporibus pilam sepulcralem Phanodici Proconnesii (I. G. A. 492. Loewy, Inschr. griech. Bildh. Lpz. 1885 n. 4 et p. XVII) Sigei erectam esse, volgaris adhuc hominum doctorum opinio erat: Kirchhoffius, Gesch. d. griech. Alphab. [3] p. 24 sq. Schützius, Historia alphab. att. p. 18 sq. Dunckerus G. d. A. VI[5] p. 467. Sed novis titulis inventis haec sententia admodum est debilitata. Atheniensium illud, quod Koehlerus (Mitth. IX p. 117 sq.) edidit, de Salamine insula decretum inscriptione Sigea satis esse recentius scriptura nunciam edocemur. Iam vero si recta est Koehleri sententia, qui decretum illud ad ipsam Salaminis comparationem pertinere censet, pila Sigea fere ad VI saeculi primordia h. e. ad priorem illam Atheniensium dominationem revocanda est. Neque enim hodie quisquam, quin utraque pilae inscriptio eodem tempore incisa sit, dubitabit. Koehleri de pilae aetate sententiam consensu suo comprobavit etiam Wilamowitzius, qui a curis Loeschckianis (Mitth. IV p. 297 sq.) profectus, elegantissime ipsius inscriptionis sensum nuper expedivit in lectionibus epigraphicis. Gottingae 1885. p. 1 sq.

III.

Veterum scriptorum de singulis Pisistrati imperiis testimonia nuper in disceptationem vocavit Ungerus, *Die Regierungen des Pisistratus* (N. Jahrb. f. Philol. 127 (1883) p. 383 sq.). Quem cum adhuc nemo redarguerit, quatenus cum eo dissentiam hoc loco mihi liceat exponere.[1]) Ungerus ut Pisistratum contra, atque adhuc vulgo ferebatur, quater tyrannidem Athenis obtinuisse eundemque ter patria expulsum esse demonstret ab Herodoti loco I, 65 proficiscitur. Tradit hic Herodotus, Croesum per nuntios de singulorum Graeciae populorum rebus sciscitantem comperisse Athenienses, Pisistrato bis expulso, iam tertium regi ab eo. Quam legationem Ungerus (Herodoti testimonio I, 91: τρία γὰρ ἔτεα ἐπανεβάλετο τὴν Σαρδίων ἅλωσιν nisus) ad 549 a. Chr. annum reicit, Sardes 546 a. Chr. captas esse nimirum pro re explorata ducens. Iam vero cum ex Aristotelis testimonio (Polit. V. 9, 23 ὥστε ἐν ἔτεσι τριάκοντα καὶ τρισὶν ἑπτακαίδεκα ἔτη τούτων ἐτυράννευσεν) 16 annos exulasse Pisistratum efficiatur eundemque ol. 54, 4 = 561/0 primum rerum potitum esse aliunde constet, Ungerus minime fieri posse credit, ut Pisistratus 549 tertium iam occupaverit tyrannidem. Quas

---

1) Steinius, qui nuperrime quaestionem hanc iudicio suo subiecit (Burs. J. B. 1886 p. 159) ad debilitandam Ungeri sententiam attulit nihil.

difficultates ille ita dimovere conatus est, ut 16 illorum annorum, quos Aristotele teste exulavit Pisistratus, partem post 549 cecidisse sumeret h. e. Pisistratum post Croesi illam legationem vel semel Athenis expulsum esse statueret. Quam opinionem ut comprobaret, Ungerus duos locos arcessivit, quippe quibus Pisistratum re vera non ter, sed quater tyrannidem obtinuisse efficeretur. Priusquam autem ad hos accedamus, ipsas eas, quibus Ungeri argumentatio nititur, res gestas paullo accuratius examinemus necesse est.

Ungerus ut Sardes 546 captas esse, ita Croesi legationem tribus annis ante id tempus in Graeciam missam esse statuit. Hinc cetera, quae effecit ille pendent. De ipso anno, quo Sardes expugnatae sint, homines docti cum veteres tum recentiores mirum quantum dissentiunt, velut nuper Büdingerus plus quam decem hominum recentiorum computationes, inter se plane differentes, enumeravit (Sitzungsber. d. Wien. Ak. 92 p. 197 sq.). Sed ut equidem quaestionem contortissimam minime hoc loco solvi posse existimo, ita tamen ex singulis iis, quos viri docti constituerunt terminis non nisi duorum nunciam ratio mihi habenda videtur. Reliqui (velut etiam is, quem Dunckerus G. d. A. IV[5] p. 323 exhibet annus: 549) tantopere pugnant cum rebus aliunde satis comprobatis, ut iis fides iam nulla possit haberi. Ungerus, *Kyaxares und Astyages* (Abhandl. d. Bayer. Ak. 1882 p. 245 sq.) Sosicratis testimonium recepit, unde Sardes ol. 58, 4 = 546/5 captas esse efficitur.[1])

1) Ex Ungeri computatione 41 annis post ol. 48, 2 = 587/6, cui anno ille Periandri mortem adsignat: Philol. XLI p. 625. Sed rectius qui eundem annum tenet (546) Dielsius M. Rh. XXXI p. 20 Diogenis verba et distinxisse et expedivisse videtur. Gelzerus M. Rh. XXX p. 242, Busoltius Gr. G. I p. 332, Holmius Gr. G. I p. 394 eandem atque Ungerus secuti sunt rationem. Schubertus, Gesch. d. Könige von Lydien p. 110 propriam de hac re sententiam non protulit.

Similem, atque Sosicrates rationem secuti sunt Eusebius II p. 96 Sch. Solinus 30, 13 Momms. alii seriores.

Ad eundem annum (praeter Sosicratis quidem testimonium) nuperrime pervenit Eversius, Das Emporkommen der Persischen Macht unter Kyros. Berlin 1884 p. 8: ‚Medien faellt Anfang 549 — die erste Botschaft des Croesus zu den Orakeln faellt bald nachher (Herod. I, 46: *αὐτίκα ἀπεπειρᾶτο*) die 2. Botschaft nach Delphi Ende Herbst oder Anfang Winter 549 — 3 Jahre spaeter wird Lydien vernichtet: Anfang Winter 546 (Her. I, 77).' Sed in fraudem induxerunt virum doctum tres illi oraculi anni, quibus cum Croesi legatione prorsus nullam intercedere rationem infra ostendetur.

Neque ex inscriptione Babylonia (Transactions of the society of biblical Archaeology vol. VII (1882) p. 142) quidquam ad hanc quaestionem redundat, cum regionem istam, in quam Cyrus (nono Nabonedi anno) invasisse perhibetur cum Lydia aequari omnino non liceat. [1]).

Ipsa Sosicratis computatio quomodo confecta sit ignoramus. Nam quae Büdingerus hac de re disputavit, futiliora sunt, quam quae serio reiciantur [2]). Fieri potest, ut iam veteres homines docti simili, atque supra Eversius (p. 8) usi sint ratiocinatione. At quoniam de ipso Medorum regni fine apud Grae-

---

1) Floiglium, qui (*Cyrus und Herodot.* Lps. 1881 p. 57 et 125) pro eo, quod in lapide servatum est Is. . . . . ‚Isparda' (= Lydia) supplendum esse statuit, satis redarguit Eversius ipse (Mittheil. aus d. hist. Litterat. X [1882] p. 126 et 127). Idem etiam eam, quam Ungerus (Kyaxares p. 240 sq.) hac de re fecit, coniecturam reiecit (Mitth. XI [1883] p. 210 et *Das Empork. d. Pers. Macht* p. 10 Adn. 1).

2) Kroesus Sturz p. 214: ‚Das Jahr (ol. 58,3 = 546/5) ergiebt sich aus dem Brande des Delphischen Tempels ol. 58,1 = 548/7, vor welchem Kroesus' Geschenke anlangten; hiefür muss Eratosthenes, beziehungsweise Apollodor das Jahr vorher angesetzt haben; die 3 Orakeljahre in Anschlag gebracht, ergiebt die Rechnung das nun kanonisch werdende Datum.' Ita sane quidvis potest demonstrari.

cos scriptores certa testimonia desiderantur, instabiles coniecturas capere non libet.

Exstat praeterea altera computatio, omnium, quae ad nos venerunt, vetustissima illa quidem, quam recentiores cum Eversius, tum Ungerus iusto magis mihi neglexisse videntur [1].) Usus est ea nuper Büdingerus (l. l. p. 212 sq.), qui tamen in tota sua commentatione talem rationem secutus est, qualem equidem minime possum adprobare.

In Marmore Pario s. ep. 35 scriptum est: ἀφ' οὗ Ἀ[λυάττη]ς Λυδ[ῶν ἐβα]σίλευσ[εν ἔτη ΗΗΗΔ]ΔΔΔΙ, ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀριστοκλέους. Qui numerus quin hoc modo explendus sit nemo dubitat. Iam vero s. ep. 41 legitur: ἀφ' οὗ Κροῖσος [ἐξ] Ἀσίας [εἰς] Δελφο[ὺ]ς ἀ[πέστειλεν θεωροὺς ἔτη ΗΗΠ]ΔΔΔΙΙ ἄρχοντος Ἀθήνησι[ν Εὐ]θυδήμου. Singula vocabula quomodo redintegranda sint ambigi licet, de ipso anno ne hic quidem dubitandum. Quarum epocharum annos accuratius, quam adhuc factum est, nuper definivit Doppius, Quaestiones de Marmore Pario. Diss. Rost. 1883 p. 54 sq. qui ex tota priore lapidis parte Boeckhii computum A expellendum esse studuit demonstrare. Doppius ipse Diog. L. I § 68 loco nisus priorem Marmoris epocham adsignat ol. 44,1 = 604, alteram ol. 56,2 = 555. Sed nescio an argumentatio Doppiana spinosior sit, quam verior. Cum enim apud Diogenem (ut taceam corruptelas foedissimas) ne olympiadis quidem annus sit additus, certi quicquam inde ad hanc quaestionem concludi omnino nequit. Itaque me iudice non est, cur de Boeckhii ratione deflectamus, qui priorem epocham anno 605, alteram 556 adscripsit. Iam vero si inferiorem nu-

---

1) Eversius Marmor omnino non attingit, Ungerus, Kyaxares p. 246 adnotat haec: ‚Ebenso wenig sind die (Data) der Parischen Marmorchronik (welche bekanntlich von chronologischen Fehlern wimmelt) zu gebrauchen.‘

merum de superiore detrahimus, 49 anni efficiuntur, qui plane respondent 49 annis, quos Alyatti regi tribuunt chronographi (Eusebius, Syncellus, Barbarus). Hinc autem qua ratione marmoris auctor in temporibus describendis usus sit vel optime cernitur. Nec non id perspexit Boeckhius, qui adnotavit haecce C. I. G. II p. 317: ‚*Sane Noster regum quas notat epochas ab initio regnorum sumit; et Croesi initium hic significari statuendum omnino est: sed potuit hoc Noster ita facere, ut aliquid annotaret, quod initio regni fecisset Croesus*' (Id quod parum respexit Steinius [5] ad Herod. I, 53). Ad ipsum igitur Croesi consultationis tempus hinc adfluit prorsus nihil: immo ol. 56, 2 = 556/5 eum significat annum, ad quem Marmoris auctor Croesi regni initium revocavit.

Annus, cui ipsa Sardium expugnatio adsignata erat, in Marmore mutilatus est, ep. 42: ἀφ' οὗ Κροῖσος ὁ Περσῶν βασιλεὺς Σάρδεις ἔλαβε καὶ Κροῖσον ὑπὸ * *. Sed Croesus quot annos regnaverit, scriptores plane consentiunt: chronographi omnes (Eusebius, Barbarus, duae series regum, Syncellus) 15 annos ei vindicant, unus Herodotus 14.[1]) Sed haec discrepantia facillime ex diversa ratione computandi explicatur (non inde quod Herodotus annos naturales h. e. vere incipientes numeraverit, chronographi Atticos: Ungerus, *Kyaxares* p. 258). Itaque non est, cur de hoc, quem omnes scriptores uno ore retulerunt, numero dubitemus, praesertim cum de ipso supremo Lydorum rege

1) Herodoti verba I, 86: *Οἱ δὲ Πέρσαι τάς τε δὴ Σάρδις ἔσχον καὶ αὐτὸν Κροῖσον ἐζώγρησαν, ἄρξαντα ἔτεα τεσσαρεσκαίδεκα καὶ τεσσαρεσκαίδεκα ἡμέρας πολιορκηθέντα* cum alii, tum Büdingerus l. l. p. 205 214 et Eversius, Das Emporkommen d. Pers. Macht p. 24 ita interpretantur, ut inde Croesum 14 annos totidemque dies regnavisse concludant. Quod quo iure fieri liceat equidem nequaquam intellego. (Confer initium c. 84). Eodem autem redit quod Busoltius Gr. G. I p. 332 toto Mermnadarum regno 170 annos et 14 dies adsignat. Nec magis ea, quae Steinius [5] ad Herod. I, 86 hac de re adnotavit comprobare possum.

vel optime certa quaedam servari potuerit memoria. Iam vero cum Marmoris auctor de superioris regis temporibus cum chronographis prorsus conspiret, ne in Croesi quidem annis describendis eum ab iis discessisse probabile est. Reicimur igitur, si 15 illos annos, quos regnavit Croesus, de 556/5 anno, quo imperium iniit ille, deducimus, ad 541/0 annum, cui Sardium expugnationem adsignavisse Marmoris auctor putandus est.

Obstare inter se Sosicratis et Marmoris testimonia adparet: utrum utri praeferendum sit, diiudicare hic nec possum nec volo. Hoc tamen ostendisse mihi videor, Ungerum in iis, quae supra conclusit, admodum praecipitem esse latum. Quamquam ipsi Lydorum regno quando finis allatus sit, remotioribus temporibus res satis nota fuisse videtur.[1]) Sed non video, cur integra huius rei memoria non eodem modo ad Marmoris auctorem pervenire potuerit, atque ad Alexandrinos, qui vocantur, grammaticos (Unger, *Kyaxares* p. 244). Evanescunt autem, si antiquiorem Marmoris computationem re vera inde ab VI. vel V. saeculo repeti licet, iam omnes illae, quas in Herodoto detexisse sibi videtur Ungerus temporum difficultates.

Sed vel alterum erratum, quo Ungeri argumentatio nititur hic expungendum est. Copulat enim Ungerus Croesi istam, de qua verba fecit Herodotus I, 59 legationem cum Herodoti testimonio I, 91 indeque ad ipsius legationis tempus definiendum ansam capessit.[2]) Quod iniuria factum esse ut demonstrem, paullo altius mihi repetendum est.

---

1) Velut Xenophanes (apud Athen. p. 54) cauponem facit ab hospite quaerentem *πηλίκος ἦσθ' ὅθ' ὁ Μῆδος ἀφίκετο*; Dielsius, M. Rh. XXXI p. 20. Danckerus G. d. A. IV[5] p. 327. Ungerus, Kyaxares p. 244.

2) Ungerus, N. Jahrb. f. Philol. 127 p. 383: ‚Als Kroisos drei Jahre vor seinem Sturz sich behufs einer Bundesgenossen-

Herodotus I, 90 Croesum, Sardibus captis, a Cyro petiisse refert, ut sibi liceret ab oraculo Delphico perniciosorum consiliorum reposcere rationem. Adnuente Cyro legati Delphos mittuntur, unde hoc responsum retulisse feruntur (I, 91): τὴν πεπρωμένην μοίραν ἀδύνατά ἐστιν ἀποφυγεῖν καὶ θεῷ. Κροῖσος δὲ πέμπτου γονέος ἁμαρτάδα ἐξέπλησε, ὃς ἐὼν δορυφόρος Ἡρακλειδέων δόλῳ γυναικηίῳ ἐπισπόμενος ἐφόνευσε τὸν δεσπότην καὶ ἔσχε τὴν ἐκείνου τιμὴν οὐδέν οἱ προσήκουσαν· προθυμεομένου δὲ Λοξίεω, ὅκως ἂν κατὰ τοὺς παῖδας τοὺς Κροίσου γένοιτο τὸ Σαρδίων πάθος καὶ μὴ κατ᾽ αὐτὸν Κροῖσον, οὐκ οἷός τε ἐγένετο παραγαγεῖν μοίρας· ὅσον δὲ ἀνέδωκαν αὗται, ἤνυσέ τε καὶ ἐχαρίσατό οἱ· τρία γὰρ ἔτεα ἐπανεβάλετο τὴν Σαρδίων ἅλωσιν καὶ τοῦτο ἐπιστάσθω Κροῖσος ὡς ὕστερον τοῖσι ἔτεσι τούτοισι ἁλοὺς τῆς πεπρωμένης. Elucet hinc, Croesum tribus annis post, quam fatum fuit, regno spoliatum esse. Terminus, unde hi anni computati sunt, videlicet prius illud fati arbitrium est, (ὡς ὕστερον τοῖσι ἔτεσι τούτοισι ἁλοὺς τῆς πεπρωμένης), minime vero superior ista, de qua hic nihil exstat, Croesi legatio. Hoc plane perspici valde expedit. Erat enim Candaule rege interfecto ab oraculo Mermnadibus praedictum, ὡς Ἡρακλείδῃσι τίσις ἥξει ἐς τὸν πέμπτον ἀπόγονον Γύγεω (Herod. I, 13). Huc Pythiae illa Κροῖσος δὲ πέμπτου γονέος ἁμαρτάδα ἐξέπλησε nimirum spectant.

Ac provocandum mihi hic ad palmare Alfredi Schoenii inventum, quo ipsa illa, quae Croeso nuntiantur, Pythiae verba vel optime expediuntur (Herm. IX p. 496 sq). Ex Herodoti enim computatione quinque Lydorum reges Gyges, Ardys, Sa-

---

schaft nach den Verhaeltnissen in Hellas erkundigte.' Kyaxares p. 248: ,Die zweite Anfrage des Kroisos in Delphi, von welcher ab ihm der Gott die Regierung um 3 Jahre verlaengerte.' Eundem errorem committunt Eversius, Das Emporkommen d. Pers. Macht p. 9 Adn. 1 et Dunckerus G. d. A. IV[5] p. 326.

dyattes, Alyattes, Croesus cuncti 170 annos regnant. Hinc si tres illos, quos Croeso ultro concesserat Pythia, annos detrahimus, 167 anni efficiuntur, h. e. id spatium temporis, quod ex priore fati consulto Mermnadibus destinatum erat. Iam vero si more Herodoteo singulis quinque illorum generum 33$^{1}/_{3}$ annos tribuimus, cuncta 166$^{2}/_{3}$ annos vel summatim comprehensos 167 efficiunt.[1]) Qui consensus sane admodum est mirificus. Cernitur autem hinc liquido, in ipso veteri oraculo tempus non ad proles, sed ad genera fuisse definitum.[2]) Nec non Pythiae testimonium, Croesum tribus annis ὕστερον τῆς πεπρωμένης imperio deiectum esse, tali modo luculentissime illustratur, quae verba, nisi tempus illud certis terminis circumscriptum fuisset, sensu prorsus carerent.[3]) Quod etiam aliunde comprobatur. Exstat enim etiamnum testimonium, ex eodem fere, atque Herodoti historiae, tempore repetendum, ubi genuina oraculi forma conservata est: Nicolaus Damascenus: F. H. G. II p. 385: θεὸς δ' ἐκέλευσε τοσόνδε προειπών, ὅτι τοῖς Ἡρακλείδαις εἰς πέμπτην γενεὰν ἥκοι τίσις παρὰ Μερμναδῶν· Cuius narrationis fontem in ipsa Lydia, minime vero Delphis quaerendum esse rectissime iam indicavit Schoenius l. l. p. 498.[4]) Quid hinc ad eam, quae inter Herodotum et Xanthum intercesserit rationem redundet, adeo manifestum mihi videtur esse, ut mirer, vel nuper a viro docto adfirmatum esse, Nicolaum narrationem

1) Commoneo 14 annis, quos supremo regi tribuit Herodotus (I, 86) respondere 15 annos chronographorum.

2) Elucet vel hinc, id quod etiam aliunde satis comparet, Sardium expugnationem certo olim anno fuisse adscriptam.

3) Büdingerus l. l. p. 203 tres illos oraculi annos tribus Croesi consultationibus respondisse suspicatur.

4) Aliter de hac re iudicavit Benedictus (De oraculis ab Herodoto commemoratis. Bonnae 1871 p. 21), qui oraculum illud a sacerdotibus Delphicis post Croesi exitum fictum et cum illo antiquo Gygis oraculo, quod in priore illius vaticinationis parte inest coniunctum, deinde per Lydiam divulgatum esse coniecit.

istam ex Herodoto ipso exscripsisse.[1]) Nec maiorem Kirchhoffii sententia habet probabilitatem (Entstehungszeit d. Herod. Geschichtsw. p. 31). Mihi quidem ipsa hac differentia quantumvis pusilla satis tamen videmur edoceri, Xanthum e puriore fonte delibasse, cum ad Herodotum iam obscurior eiusdem oraculi memoria pervenerit, quam pie, ut adsolet, exhibuit ille.

Sufficere haec opinor ad reiciendam eorum sententiam, qui ex oraculi illius verbis Croesi legationis tempus definire voluerunt. Ungeri igitur argumentatio in utramque vacillat partem: ut de ipso anno, quo Sardes expugnatae sint, nequaquam constat, ita vel Croesi consultatio, quanto ceciderit ante istum terminum, incertum et ipsum, accurate describi omnino nequit. Redundat igitur hinc ad Pisistrati res ab Herodoto (I, 59) enarratas prorsus nihil.

Praeterea autem vel unum hic commonendum videtur. Nolimus, quaeso, neglegere, quales tandem fuerint ipsae illae, quas in opere suo conscribendo secutus est Herodotus, temporum rationes. Herodotus I, 56 perhibet Croesum, antequam bellum cum Cyro inciperet, Delphos misisse consultum, quosnam ex Graecis socios sibi compararet: μετὰ δὲ ταῦτα ἐφρόντιζε ἱστορέων, τοὺς ἂν Ἑλλήνων δυνατωτάτους ἐόντας προσκτήσαιτο φίλους· ἱστορέων δὲ εὕρισκε Λακεδαιμονίους καὶ Ἀθηναίους προέχοντας, τοὺς μὲν τοῦ Δωρικοῦ γένεος, τοὺς δὲ τοῦ Ἰωνικοῦ. Pergit c. 59: Τούτων δὲ ὦν τῶν ἐθνέων τὸ μὲν Ἀττικὸν κατεχόμενόν τε καὶ διεσπασμένον ἐπυνθάνετο ὁ Κροῖσος ὑπὸ Πεισιστράτου τοῦ Ἱπποκράτεος, τοῦτον τὸν χρόνον τυραννεύοντος Ἀθηναίων. Intercalatur deinde more Hero-

1) Schubertus, Geschichte der Koenige von Lydien p. 121. Neque etiam Heilio (Logographis qui dicuntur num Herodotus usus esse videatur. Marbg. 1884. p. 16) adsentiri possum, qui ut Herodotum a Nicolao compilatum esse, ita eundem 'haud dubie totam hanc narrationem sacerdotibus Delphicis debere' sibi persuasit.

doteo fusa de Pisistrato narratio (c. 59—65) usque ad ultimam eius tyrannidem perducta. Sed quae hic de Pisistrati rebus inculcavit Herodotus, facillime potuerunt vel ultra ipsa ea tempora continuari, in quae Croesi ista incidit consultatio. Qua in re iam nihil credo offendet, qui norit indolem libri Herodotei. Itaque non est, cur capitis insequentis (65) verba: Τοὺς μέν νυν Ἀθηναίους τοιαῦτα τὸν χρόνον τοῦτον ἐπυνθάνετο ὁ Κροῖσος κατέχοντα necessario respondeant ipsis iis, quae in capitis 64 fine enarrata erant, sed universe ad totam, quae de Pisistrato interiecta est, narrationem referenda sunt.[1])

Iam venio ad ipsa argumenta, quibus Ungerus comprobare studuit, Pisistratum quater Athenis tyrannidem occupasse. Adfert ille primum notum illud, quod in vitis Homeri alibique servatum est, epigramma in Pisistratum conditum:

τρίς με τυραννήσαντα τοσαυτάκις ἐξεδίωξε
δῆμος Ἀθηναίων καὶ τρὶς ἐπηγάγετο
τὸν μέγαν ἐν βουλῇ Πεισίστρατον sq.

quippe quo Pisistratum non ter, sed quater tyrannidem adripuisse, aperte indicetur: ‚Es bezeugt hiermit ausdrücklich, dass der Tyrann nicht drei, sondern viermal die Herrschaft an sich gerissen hat‘. Quod epigramma quo tempore compositum sit homines docti valde dissentiunt. Sed cum id ad hanc quaestionem non multum attineat, solum hoc breviter mihi liceat adferre, Bergkii sententiam (Gr. Lit. G. I p. 448), qui versus illos paullo post bellum Peloponnesiacum conditos esse vult prorsus nullam habere veritatis speciem. Adridet maxime Wilamowitzii opinio, qui sicut ea, quae nunc apud grammaticos de Pisistrati curis Homericis leguntur, ita etiam epigrammatis

1) Video hoc rectissime posuisse etiam P. Stettinerum, Ad Solonis aetatem quaest. crit. Regim. 1885. Thes. I.

huius originem ad primum p. Chr. saeculum reicit (Homer. Unters. p. 235 Adn.)[1]) — Sapit vero totum epigramma tantopere studia grammaticorum, ut ipsi illi versus vel per se ad res gestas restituendas parum videantur esse idonei. Ac claudicat praeterea vel ipsum epigrammatis argumentum haud leniter. Nam id, quod ipsis illis versibus indicatur, *fuisse quemquam ter tyrannum eundemque ter expulsum itidem a civibus revocatum esse* hoc sane omni caret veritatis specie. Ac praesertim in Pisistratum, quippe quem tyrannum mortuum esse constet (Thuc. VI, 54), quomodo haec quadrent, nullus adsequor. Repugnant autem quae Ungerus inde extricavit vel gravissimorum scriptorum disertis testimoniis. Describuntur apud Herodotum (I, 59—64) deinceps Pisistrati imperia tria, quorum memoria etiam in epigrammate isto servata est. Fuit vero omnino ipsa haec res adeo et singularis et memorabilis, ut si Pisistratus praeterea vel semel rerum potitus esset, minime huius rei memoriam silentio pressuri fuerint scriptores. Accedit liquidum Aristotelis testimonium, qui Polit. V. 9, 23 haec habet: τρίτη (τυραννίς) δ' ἡ τῶν Πεισιστρατιδῶν Ἀθήνησι· οὐκ ἐγένετο δὲ συνεχής· δὶς γὰρ ἔφυγε Πεισίστρατος τυραννῶν.[2]) Evincitur ex his omnibus, Ungeri istam interpretationem prorsus esse hebetem. — Ipsum quidem epigramma, quomodo explicandum sit, iam alia est quaestio, quae huc minus facit. Verba τρὶς ἐπηγάγετο ὁ δῆμος Ἀθηναίων optime ad primam quoque Pisistrati tyrannidem possunt referri, quippe quam Herodoto teste is non minus quam alteram per dolum adripuerit. Difficiliora illa τοσαυτάκις ἐξεδίωξε, quae tamen haud scio an ita sint ex-

1) H. Flach, Peisistratos u. seine litter. Thaetigkeit. Tübing. 1885 p. 6 versus illos ad alterum a. Chr. saeculum revocat.

2) Eunapius in vita Proaeresii I p. 80 Boisson. ὁ δὲ καὶ Προαιρέσιος . . ὥσπερ ὁ Πεισίστρατος ἐκπεσὼν κατῆλθε τὸ δεύτερον.

pedienda, ut Bergkio quondam visum est (Gr. Lit. G. I p. 448: ‚Der dritte Unfall trifft seine Söhne.‘)[1]) Innotuerat homini historiae imperito fortasse aliquid de postrema illa tyrannorum exactione, quam temere retulit ille ad Pisistratum patrem. Omnino patris et filiorum res haud raro inter se commixtae sunt, id quod probe illustratur variis scriptorum posteriorum testimoniis.

Iam transeo ad alterum, quod Ungerus protulit, argumentum. Isocrates π. τοῦ ξεύγους c. 10: τετταράκοντα δ' ἔτη τῆς στάσεως γενομένης ὑπὸ μὲν τυράννων τοσούτῳ μᾶλλον τῶν ἄλλων ἐμισήθησαν, ὥσθ' ὁπότε τἀκείνων κρατήσαιεν οὐ μόνον τὰς οἰκίας αὐτῶν κατέσκαπτον, ἀλλὰ καὶ τοὺς τάφους ἀνώρυττον, ὑπὸ δὲ τῶν συμφυγάδων οὕτω σφόδρ' ἐπιστεύθησαν, ὥσθ' ἅπαντα τοῦτον τὸν χρόνον ἡγούμενοι τοῦ δήμου διετέλεσαν. En quae Ungerus hinc concludit: Ex verbis ὁπότε κρατήσαιεν κατέσκαπτον καὶ ἀνώρυττον adparere, Alcmaeonidas identidem poena illa adfectos esse. Quod primo Pisistrati imperio vix potuisse fieri, cum Herodotus eum tum maxima clementia usum esse perhibuerit. Alteram vero tyrannidem Pisistratum per ipsos Alcmaeonidas adeptum esse. Itaque tertio demum Pisistrati imperio primum poenam istam de Alcmaeonidis potuisse capi. Iam vero cum ὁπότε τἀκείνων κρατήσαιεν id factum esse tradiderit Isocrates, post tertiam Pisistrati tyrannidem necessario vel unum, quo poena ista repetita sit, imperium esse statuendum.

At ut Ungerus omnino Isocratis narrationi nimiam attribuisse videtur auctoritatem, ita ne eius argumentationem quidem facere possum ut comprobem. Ungerus cum demonstraret ipse (p. 384) Isocratis verba ὁπότε τἀκείνων κρατήσαιεν κατέσκαπ-

1) Ipsa epigrammatis verba quominus id sumamus me judice minime obstant: Ungerus l. l. p. 383 adn.

τον καὶ ἀνώρυττον neque ad primam neque ad alteram Pisistrati tyrannidem quadrare, optime vel hinc cognoscere potuit, ipsum illud testimonium non admodum esse urgendum. Iam vero cum oratoris verba tam parum sibi constare videret, neutiquam inde efficere debuit, quae cum rebus aliunde satis comprobatis aperte pugnarent. Isocratis testimonio per se minima fides habenda est[1]).

Neque aliter nos de iis iudicaremus, quae Isocrates de Pisistrati temporibus retulit, nisi eius de hac re testimonium etiam aliunde confirmaretur. Testatur autem Isocrates discordiam civilem 40 annos duravisse. Quae quidem quo tempore inceperit vel quando exitum invenerit nusquam dictum est. Quamquam Ungerus pro re explorata ducens Isocratem στάσεως illius finem ad 511/0, quo anno Pisistratidae Athenis expulsi essent, retulisse haec facit verba: ‚Der 40-jährige Parteihader, von welchem hier die Rede ist, endigt ol. 67, 2 = 511/0 mit dem Sturz der Pisistratiden, beginnt also 10 Jahre nach der

1) Habet enim in his partibus non nisi laudes de Alcmaeonidis orator, quorum ope Athenae a tyrannide liberatae sint. Quae de ea gente praedicat, partim tantopere adversantur historiae fidei, ut tota eius narratio maxima aspergatur suspicione. Conveniunt superiora Isocratis verba *οὐκ ἠξίωσαν μετασχεῖν τῆς ἐκείνου τυραννίδος, ἀλλ᾽ εἵλοντο φυγεῖν μᾶλλον ἢ τοὺς πολίτας ἰδεῖν δουλεύοντας* pessime cum testimonio Herodoti, qui (I, 60) Megaclem ipsum Pisistrato cum tyrannidem tum adeo filiam suam obtulisse testis est. Etiam postero tempore Alcmaeonidas quam maxime ad reditum incubuisse satis scimus (Her. V, 62). Iam vero quod Isocrates, ut demonstret quanto maiori Alcmaeonidae, quam omnes ceteri odio fuerint tyrannis, eorum domus ac sepulcra ab his devastata esse adfert, in errorem incidit ille. Cohaeret enim poena ista artissime cum parricidio, quo Alcmaeonidae se inquinaverant; nisi illi fuissent ἐναγεῖς, tali poena minime essent adfecti. Denique quae de maxima illa Alcmaeonidarum fide et de principatu, quem illi inter cives obtinuerint exponit Isocrates, haec certissimis scriptorum testimoniis cum aliorum, tum Aristotelis aperte repugnant, qui eadem vindicavit Pisistrato (Pol. V. 4, 5 et V. 8, 4).

ersten Erhebung des Tyrannen.'[1]) Incidit igitur ex hac computatione seditionis initium in 551/0 annum. Iam vero cum secundum Herodoti narrationem tertio demum Pisistrati imperio Alcmaeonidae primum gravissima ista poena adfecti esse possint, Ungerus Pisistratum eo tempore (551/0) iam tertium Athenis regnavisse concludit.

Sed eius ratiocinatio cum ipsi Isocrati adversari tum ceterorum scriptorum testimoniis affatim mihi infringi videtur. Nam primum quidem e praecedentibus Isocratis verbis liquido adparet, oratorem discordiarum initium inde ab eo tempore repetivisse, quo primum inter utramque familiam alienatio illa facta esset. Hanc vero inde ortam esse, quod tyrannidem Athenis adripuisset Pisistratus, apertum est. Quod ipsis oratoris verbis satis comprobatur: συγγενεῖς γὰρ ὄντες Πεισιστράτου καὶ πρὶν εἰς τὴν ἀρχὴν καταστῆναι μάλιστ' αὐτῷ χρώμενοι τῶν πολιτῶν, οὐκ ἠξίωσαν μετασχεῖν τῆς ἐκείνου τυραννίδος. Refert praeterea Isocrates, Alcmaeonidas tunc ipsum Athenas reliquisse, id quod protinus post perlatam Aristonis de Pisistrati praesidio rogationem accidisse locupletissimo Plutarchi testimonio confir-

1) Isocrates qua re adductus sit, ut seditionis initium inde a tertio Pisistrati imperio repeteret, equidem fingere non possum. Nam ipso eo tempore res internas placatissimas fuisse, satis adparet vel inde, quod Pisistratum tum omnes curas et cogitationes in res externas contulisse constat. Herodoto teste Pisistrati adversarii eo tempore partim ceciderant in pugnis, partim autem cum Alcmaeonidis extra Atticam commorabantur (I, 64). Minime vero adsequor, cur Isocratis verba non ad primam Pisistrati tyrannidem referri liceat. Herodoti enim testimonium I, 59 minime obstat nec magis mihi haerendum videtur in loco Plutarcheo (Sol. 30), cum Alcmaeonidarum absentium domus et sepulcra non minus quam praesentium devastari potuerint: Ungerus l. l. p. 384. Repetita autem esse poena ista vel optime potest sub tertio Pisistrati imperio, quem eodem tempore Delum insulam ratione haud dissimili lustravisse Herodotus testificatur (I, 64). Quod si hoc sumimus, Isocratis narratio iam cum omnibus ceteris testimoniis luculentissime conciliatur.

matur (Sol. 30): Γενομένου δὲ τούτου καὶ τῆς πόλεως συνταραχθείσης, ὁ μὲν Μεγακλῆς εὐθὺς ἔφυγε μετὰ τῶν ἄλλων Ἀλκμαιωνιδῶν.[1]) Redundat ex omnibus his, Isocratem στάσεως illius initium non inde a tertia, sed a prima Pisistrati tyrannide computasse. De hac re iam ambigi nequit. Redarguitur vero praeterea sententia Ungeriana diserto Herodoti testimonio, qui Pisistratum ex altero exilio undecimo demum anno Athenas rediisse testis est I, 62: Ἐξ Ἐρετρίης δὲ ὁρμηθέντες διὰ ἑνδεκάτου ἔτεος ἀπίκοντο ὀπίσω. Quod quidem cum Ungeri computatione nullo pacto potest consociari. Nam si reputaverimus, Pisistratum inde ab anno 561[2]) praeter decem hos annos vel semel exulasse bisque praeterea Athenis regnavisse, minime fieri potuisse adparebit, ut iam 551/0 tertium tyrannidem occuparet. Nec non animadvertit hoc Ungerus, qui pro διὰ ια´ ἔτεος Herodotum διὰ ἔτεος scripsisse satis sagaciter coniecit.[3]) Sed miror hominem doctum tali modo rem confecisse sibi visum esse. Exstat enim testimonium, nobilissimum

---

1) Herodoti (I, 59) et Plutarchi (Sol. 30) de Pisistrati imperii primordiis narrationes ad diversos redeunt fontes. Plutarcho in his vitae Solonis partibus optima et locupletissima testimonia suppeditarunt. Adfertur ab eo adeo ipsius rogatoris nomen, cum in narratione Herodotea neque rogationis illius neque Solonis ulla fiat mentio. Nec de numero satellitum convenit inter utrumque scriptorem. Iam vero quae de Solone fere iisdem verbis retulerunt Plutarchus (Sol. 30), Diogenes (I § 49), Aelianus (v. h. VIII, 16) haec certe ad communem fontem revocanda sunt. Cogitari potest de Hermippo.

2) Huic anno initium Pisistrati tyrannidis adscribendum esse infra ostendetur.

3) Ungerus praeterea ex ipsa Herodoti narratione efficere studuit, alteram hanc Pisistrati relegationem unum vix excessisse annum. Sed res pessime cessit illi. Si quis simplici mente ea, quae de utroque exilio scripsit Herodotus, perlegerit, nequaquam cum Ungero priori exilio octo annos, alteri vero temporis intervallum anno brevius tribuet. Redundat id omnino ex copiosa Herodoti de altero exilio narratione (I, 61), quam sub finem adeo ita contraxit ille: μετὰ δὲ οὐ πολλῷ λόγῳ εἰπεῖν χρόνος διέφυ καὶ πάντα ἐξήρτυτο ἐς τὴν κάτοδον. Ungeri interpretatio prorsus ad libidinem facta est.

illud quidem — cuius in tota commentatione sua mentionem Ungerus iniecit nullam — unde 11 illos Herodoti annos nullo pacto posse eliminari necessario cogitur. Antecedunt enim ipsa ea, quae l. l. p. 389 adfert Ungerus, Aristotelis verba V. 9, 23: ἐν ἔτεσι τριάκοντα καὶ τρισὶν ἑπτακαίδεκα τούτων ἐτυράννησεν, ὀκτωκαίδεκα δὲ οἱ παῖδες, ὥστε τὰ πάντα ἐγένετο ἔτη τριάκοντα καὶ πέντε haece: οὐκ ἐγένετο δὲ συνεχὴς (Πεισιστράτου τυραννίς) δὶς γὰρ ἔφυγε Πεισίστρατος τυραννῶν· Quae hinc redundent manifestum est. Ex eo, quod Aristoteles per totum tyrannidis tempus bis exulasse Pisistratum expressis verbis perhibet, Ungeri sententiam, qui sedecim illos exilii annos ita distribuere voluit, ut pars eorum vel tertio cuidam Pisistrati exilio, quod post 549 annum reicit ille, adsignaretur, caducam esse liquido adparet. Qui anni quomodo distribuendi sint patet. Pisistrati enim exiliorum prius 6 (vel 5), alterum 10 (vel 11) annorum fuisse, necessario sequitur. Concidit vero ita vel alter calculus Ungerianus: Pisistratus ut 551/0 iam tertium rerum potitus sit, nullo modo fieri potest.

Videtur omnino ea, quam Isocrates secutus est, ratio haud ita singularis antiquis temporibus fuisse. Leguntur enim in scholio ad Aristophanis Vesp. 502 haece: εἰκότως δὲ τεσσάρων ὄντων κατ' ἐνίους τῶν Πεισιστρατιδῶν, τὸν Ἱππίαν παρέλαβεν· πρεσβύτατος γὰρ ἦν οὗτος [αὐτός schol. Dübn. cf. Lys. 619] καὶ τὴν τυραννίδα εἶχε, καθὰ καὶ Θουκυδίδης φησί· δοκεῖ δὲ ἡ τυραννὶς καταστῆναι, ὥς φησιν Ἐρατοσθένης, ἐπὶ ἔτη ν', τοῦ ἀκριβοῦς διαμαρτάνων, Ἀριστοτέλους μὲν τεσσαράκοντα καὶ ἓν φήσαντος, Ἡροδότου δὲ ἓξ καὶ τριάκοντα[1]). Ἀριστοτέλους emendatio est Bentlei-

1) Hinc exscripta sunt, quae exstant in scholio ad Lysistr. 619: *Τεττάρων ὄντων τῶν Πεισιστρατιδῶν, εἰκότως τοῦ Ἱππίου μόνου ἐμνημόνευσεν. Πρεσβύτατος γὰρ ἦν οὗτος τῶν ἄλλων καὶ τὴν τυραννίδα ὑπέθετο, καθάπερ Θουκυδίδης φησί. Κατέσχε δὲ ἡ τυραννὶς ἐπὶ ἔτη γ', οἱ δὲ δ', Ἡρόδοτος δὲ ϛ'.* Quo testimonio cum ad Hippiae tempora restituenda uterentur homi-

ana. Codices Aristophanis nomen exhibent. Sed dubitandum non est, quin Bentleius verum viderit. Aristotelem accuratissime Pisistrati res pertractasse, satis eisdem edocemur scholiis: excitat Ἀριστοτέλην ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ nominatim de Pisistrati rebus commentator ad Acharn. 234 nec non quae in scholiis ad Lysistr. 665 et 1153 de Pisistrato exstant ad eundem Aristotelis librum revocanda sunt (Rose, Aristot. Fragm. p. 416 sq.). Contra Aristophanis grammatici de tali re testimonium, praesertim inter Eratosthenem et Herodotum interiectum summam movet suspicionem.[1]) Quapropter iusto iure Bentleio adstipulatus est Augustus Nauckius, Aristoph. Byz. Fragm. p. 66: ‚Neque enim credibile est, aut Aristophanis Byzantii auctoritatem Eratostheni opponi, aut cum Herodoto consociari Alexandrinum grammaticum.‘ Cui tamen in omnibus adsentiri nequeo. Minime enim video, cur in Aristotelis verbis Polit. V. 9, 23: ὥστ᾽ ἐν ἔτεσι τριάκοντα καὶ τρισὶν ἑπτακαίδεκα ἔτη τούτων ἐτυράννησεν, ὀκτωκαίδεκα δὲ οἱ παῖδες, ὥστε τὰ πάντα

---

nes docti (Clinton F. H. II p. 18, Ungerus l. l. p. 386) in fraudem pellecti sunt. Scholiastam enim omnino non ad Hippiae tyrannidem, sed ad universam Pisistratidarum dominationem spectasse, qui haec cum scholio ad Vesp. 502 contulerit satis intelleget. Quod rectissime iam vidit Dindorfius. Accedit, quod ipsum Herodoti testimonium (V, 55) habemus, qui Hippiae non sex, sed quattuor annos vindicat. Scholii igitur numeros turpiter mutilatos esse sequitur (velut in apographo Claudii Puteani exhibentur haece: ἐπὶ ἔτη τρία, οἱ δὲ δ^{κι} Ἡρόδοτος ς′). Itaque haud scio an alienum sit ab arte nostra, si ex scholio superiore integros numeros hic substituimus hos: ἐπὶ ἔτη ν, οἱ δὲ μα, Ἡρόδοτος δὲ λς.

1) Meursius, *Pisistratus* p. 142 adeo de Aristophane poeta cogitavit, id quod ne levissimam quidem habet probabilitatis umbram. Clintonus F. H. II, p. 218, Fischerus, Griech. Zeittaf. p. 135, Ungerus l. l. p. 390 Aristophanem tenent Byzantium, Schneidewinus, Heraclid. politiar. fragm. p. 38 suppleri iubet adeo Apollodorum. Dupplici se maculavit errore Onckenius, Staatsl. d. Arist. p. 462 adn. 4: ‚Dagegen ist es ein Versehen, wenn der Scholiast zu Ar. Wespen 502 die Ziffer τεσσαράκοντα καὶ ἕν als Ἀριστοτέλους bezeichnet.‘

ἐγένετο ἔτη τριάκοντα καὶ πέντε haeserit vir doctissimus, cum Aristophanis commentatorem non ex Politicis, sed ex Politiis delibasse satis apertum sit. Pisistratidarum vero tempora cum ab hominibus veteribus alia ab aliis ratione definita esse constet, nulla iam earum, quae nobis traditae sunt, computationum abicienda videtur, si ullius in ea invenerimus rationis vestigia. Quantopere in restituendis his rebus a vero aberrari possit, probe Schneidewini exemplo illustratur, qui fragmento Heraclideo (Πεισίστρατος τριάκοντα τρία ἔτη τυραννήσας γηράσας ἀπέθανεν) comprobavisse sibi videtur, Aristotelis rationem in πολιτείαις et in πολιτικοῖς necessario sibi constitisse (Heraclid. polit. fragm. 38).[1]) At adfluit hinc omnino nihil ad eam, quam in Politiis secutus est Aristoteles rationem. Respondent enim 33 anni, in Heraclidis Politiis commemorati (quos praeter Aristot. Pol. V, 9, 23 attulit etiam Iustinus II, 8) nequaquam ei numero, quem exhibet scholiasta: 33 anni Heraclidei videlicet ad solum Pisistrati imperium (561—528), 41 vero scholii anni ad universam Pisistratidarum dominationem pertinent. Haec omnino inter se ut concinere nequeunt, ita non debent conciliari. Schneidewinus igitur, cum hinc certum argumentum ad convellendam Bentleii coniecturam duci posse adserit, foedissime res diversissimas inter se confundit. Ob ipsam vero hanc causam ne Nauckio quidem in scholio Aristophaneo τριάκοντα καὶ ε′ (cf. Aristot. Pot. V. 9, 23) reponi iubenti facere possum ut adstipuler. Maxime enim praecaven-

1) Excerpta ἐκ τῶν Ἡρακλείδου περὶ πολιτειῶν in codicibus Aeliani servata tantum non omnia ex Aristotelis Politiis compilata esse post curas Schneidewinianas nemo nescit (Rose, Aristot. fragm. p. 400). Nec dubitandum hac de re. Ambigebatur de auctore. De hoc coniecturam satis ingeniosam et argutam protulit Ungerus (M. Rh. XXXVIII p. 504 sq.), qui postquam Pontico nullo pacto excerpta illa vindicari posse pluribus demonstravit, ab Heraclide Lembo ea confecta esse satis comprobavit.

dum est, ne res plane dissonas temere hic coagmentemus. Priusquam igitur eorum, quae tradita sunt, immutemus quidquam, in ipsas veterum rationes, quibus in conficiendis computationibus suis usi sunt, diligentius inquiramus opus est.

Sunt autem me iudice acerrime hic distinenda temporum intervalla potissimum t r i a.

P r i m u m id tempus, quod praeteriit inde a prima Pisistrati tyrannide usque ad Hippiae exactionem, quod A r i s t o t e l e s in Politicis 51 annorum fuisse perhibet, cui numero respondent 50 anni E r a t o s t h e n i c i (Schol. Ar. Vesp. 502) Tribuit vero Aristoteles ex hac computatione ipsi Pisistrato 33 annos integros, quos eosdem exhibent et H e r a c l i d e s (Polit. fragm. p. 4 Schn.) et I u s t i n u s (II, 8).[1])

D e i n d e id spatium temporis, quo Pisistratidae re vera Athenis tyrannidem exercuerunt, deductis 16 annis, quos exulavit pater. Huc spectant 35 anni A r i s t o t e l i c i (Polit. V. 9, 23) vel 36 H e r o d o t e i (V, 65).

D e n i q u e vel una computatio, differens ab his, iam satis antiquis temporibus Athenis circumlata esse videtur. Dico 41 illos, qui in scholio A r i s t o p h a n e o exhibentur annos, cum quibus consociandum est testimonium I s o c r a t i s, qui στάσιν 40 annos Athenis duravisse testis est. Neque enim dubito, quin duobus his testimoniis eadem contineatur ratio.

Superiores duae computationes, quomodo confectae sint apertum est. In illustranda infima proficiscendum videtur a testimonio I s o c r a t e o, quod quidem per se licet non magni ponderis faciendum sit, tamen quoniam alio testimonio prorsus se-

1) F r a n c i s c u s R ü h l nuper ex codicibus melioribus restituit apud Iustinum numerum XXXIV. Sed num hic numerus ad aliam memoriam revocandus sit dubito. Immo probabilius videtur IV corruptum esse ex III (id quod servatum est in deteriore classe Transalpina.)

orsum orto comprobatur, minime neglegendum est. Evicimus supra Isocratem seditionis initium inde a prima Pisistrati tyrannide (h. e. inde ab anno 561) repetivisse. Hoc tenendum est. Iam vero si hinc 40 annos detrahimus, ipsius seditionis finis ad 521 revocatur, id quod omni omnino caret probabilitate. Sed ut Herodotus et Aristoteles Pisistratidarum imperio 35 (vel 36) annos vindicantes non perpetuos illos numeraverunt, ita ne Isocratis quidem computatio uno tenore perducta videtur.[1]) Ac, ni fallor, etiamnunc enucleari potest, quaenam ratio eius computationi subiaceat.

Redundavit supra ex Aristotelis (Polit. V. 9, 23) et Herodoti (I, 62) testimoniis, prius Pisistrati exilium 5 (vel 6), alterum vero 11 (vel 10) annorum fuisse. Iam vero cum primum expulsus esset Pisistratus, tantum abfuit, ut controversiae civiles quiescerent, ut στάσις vel eo procederet, ut Megacles, princeps Alcmaeonidarum, non dubitaret ipsum pristinum revocare Athenas adversarium. Herodotus I, 60: 'οἱ δὲ ἐξελάσαντες Πεισίστρατον αὖτις ἐκ νέης ἐπ' ἀλλήλοισι ἐστασίασαν· περιελαυνόμενος δὲ τῇ στάσι ὁ Μεγακλέης ἐπεκηρυκεύετο Πεισιστράτῳ, εἰ βούλοιτό οἱ τὴν θυγατέρα ἔχειν γυναῖκα ἐπὶ τῇ τυραννίδι. Prorsus alia iam alterius Pisistrati exilii fuit ratio. Quid quod Herodotus tum partes in gratiam rediise expressis verbis adfert I, 61: (Μεγακλέης) καταλλάσσετο τὴν ἔχθρην τοῖσι στασιώτῃσι. Recessit Pisistratus, cum hoc modo partium animos inter se reconciliari videret ultro ab ipsa terra Attica (ἀπαλλάσσετο ἐκ τῆς χώρης τὸ παράπαν) Eretriamque profectus illic per decennium commorabatur.

Collustratur hinc Isocratis ratio. Nam ut indicaretur,

---

1) Hoc iam Clintonus prolocutus est F. H. II p. 202, etsi opinionem suam nullo comprobavit argumento.

quam diu στάσις Athenis saeviisset,[1]) soli 10 illi alterius exilii anni deducendi erant de ipso eo tempore, quod inde a prima Pisistrati tyrannide usque ad Hippiae exactionem praeterlapsum erat, minime vero prioris relegationis tempus hic debuit praetermitti. Quod si sumimus, iam omnes temporum difficultates facillime evanescunt. Haec computatio, cuius memoria etiam in Aristotelis Politias irrepsit, Isocratis temporibus procul dubio Athenis satis fuit pervagata. Nec repugnant huic calculo ea, quae in Politicis his de rebus exposuit Aristoteles. Quapropter neque in Aristotelis nomine haerendum neque is, qui in scholio scriptus est, numerus immutandus. Lucramur autem hinc vel aliud: possunt enim nunciam vel paullo accuratius, quam adhuc factum erat, ipsae rationes duci. Isocrates summatim, qui fortasse vulgo ferebantur, 40 annos comprehendit. Aristoteles vero ut cum Herodoto (V, 65) ita cum Isocrate uno discrepat anno. Quod num temere fecerit ille, dubito. Iam vero cum ex Herodoti testimonio (ἀπίκοντο ὀπίσω διὰ ἐνδεκάτου ἔτεος) exulaveritne Pisistratus 10 an 11 annos integros, accurate definiri nequeat, ne prior quidem tyranni relegatio certis terminis circumscribi potest. Vacillat enim eadem inter 6 et 5 annos. Sed quoniam nunc ex Aristotelis testimonio constat, Pisistratidarum dominationem excepto altero Pisistrati exilio 41 annos duravisse idemque Aristoteles 16 totius Pisistrati relegationis annis omissis 35 annos adsignaverit Pisistratidis, prius tyranni exilium 6 annorum fuisse, sequitur. Alterum igitur 10 annos durasse necessario hinc cogitur.[2])

Reliqui termini ad Pisistratidarum dominationem spectantes iam pendent ab anno pugnae Marathoniae. De hoc igitur

---

1) Isocr. π. τοῦ ζευγ. c. 10: τετταράκοντα δ'. ἔτη τῆς στάσεως γενομένης.

2) Parum accurate Busoltius Gr. G. I p. 552 priori exilio 5 (555—551), alteri 10 annos (549—539/4) adsignat.

videndum. Ipsam pugnam Phaenippo archonte commissam esse et Plutarchus (Aristid. 5) et auctor Parius s. ep 48 (Phaenippus II) testificantur. Qua de re non est, cur ambigatur (cf. Ungerum l. l. p. 389). Phaenippum autem ol. 72, 3 = 490/89 archontis munere functum esse certo constat. [1]) Huic igitur olympiadi vel anno Attico pugna Marathonia necessario adsignanda est. Accuratius eius tempus definivit Plutarchus (Cam. 19. de glor. Athen. 7. de Her. malign. 26), qui eam 6 diei Boedromionis adscribit. Sed hanc terminationem errore ex die supplicationis, quae post pugnam habita est, derivatam esse satis probavit Boeckhius (Mondcycl. p. 66 sq.). Quamquam ipsam pugnam haud ita multo ante eum diem commissam esse probabile est. Hic igitur unus terminus positus est. Videndum de altero. Athenienses protinus, cum Eretriam captam esse audivissent, Phidippidem cursorem Spartam miserunt, ut oppidi illius expugnationem nunciaret. auxilium peteret. Qui nono mensis die (scl. Metagitnionis) δευτεραῖος ἐκ τοῦ Ἀθηναίων ἄστεος ἦν ἐν Σπάρτῃ (Herod. VI, 106). Lacedaemonii εἰνάτῃ δὲ οὐκ ἐξελεύσεσθαι ἔφασαν μὴ οὐ πλήρεος ἐόντος τοῦ κύκλου. Luna completa dein egrediuntur (Herod. VI, 120). Cursor autem Athenas reversus civibus renunciat, quadriduo praeterlapso demum egressuros esse Lacedaemonios: Iustinus II, 9 (Ephorus?). Iam vero cum ante 6. Boedromionis lunam 14. Metagitnionis die supremum completam esse constet (Boeckh Mondcycl. p. 72), Lacedaemonios 15. die profectos esse sequitur. Ac congruit hoc luculentissime cum narratione Herodotea, ex qua Phi-

———

1) In Marmore inde a Phaenippo usque ad Diognetum 227 anni numerantur. Iam vero cum Marmoris auctor sibi non plane constiterit, hinc sciri nequit, intellexeritne ille ol. 72, 2 an ol. 72, 3. Solvitur quaestio eo, quod Dionysius (A. R. VII, 1) et Pausanias (VI., 9, 5) consentientes ol. 72, 2 archontem nobis conservaverunt. Qui fuit Hybrilides.

dippidem[1]), cum 9. Metagitnionis die δευτεραῖος Spartam venisset. 7. die reliquisse Athenas, 11. autem domum revertisse adparet. Iam vero cum Herodotus VI. 102 paucos dies inter Eretriae expugnationem ipsamque Persarum in terram Atticam escensionem praeterlapsos esse referat[2]), intervallum inter 7. Metagitnionis diem et Persarum egressum nimirum quam minimum statuendum est. Quapropter nuncium de eorum ascensu non post 12. Metagitnionis diem Athenas adlatum esse sumpserim. Athenienses autem, Persarum escensione audita, dum hostes educendis militibus tempus conterunt, certe protinus concionem habuerunt eodemque vespere Marathonem profecti nocte elatos occupant locos (Clem. Al. II p. 130 Dind.). Insequenti vero die h. e. 13. Metagitnionis (vel 8. Sept.) ipsa pugna commissa est.[3])

Quattuor discrepo diebus a Boeckhio, cui ex recentioribus plerique plane se adplicaverunt (Curtius Gr. G. II[5] p. 824. Dunckerus G. d. A. VII[5] p. 130). Boeckhius Mondcycl. p. 72 ita argumentatur: 15. Metagitnionis die Lacedaemonii egrediuntur triduique itinere facto 18. mensis die Athenas veniunt, ubi pugnam pridie commissam esse comperiunt. Adsignat ergo Boeckhius ipsam pugnam 17. diei Metagitnionis (vel 12. Sept.)

Sed unde, quaeso, scimus Lacedaemonios postridie ipsam pugnam advenisse? Legitur sane hoc apud Platonem (Legg. p 698)

1) Qui apud ceteros scriptores unanimo consensu vocatur Philippides. Sed utrum vero propius, audieritne *Φειδιππίδης* an *Φιλιππίδης* cursor? Quod munus ut ipsum nomen nescio an fuerit hereditarium in ista familia.

2) Herod. VI, 102: *Χειρωσάμενοι δὲ τὴν Ἐρέτριαν καὶ ἐπισχόντες ὀλίγας ἡμέρας ἔπλεον ἐς τὴν Ἀττικήν.* Respondet his diebus tempus illud, quod inde a Phidippidis abitu usque ad eius reditum praeteriit.

3) Quae Herodotus VI, 109 et 110 de longinquis strategarum altercationibus et de principatu Miltiadi a collegis oblato perhibet ut cum ceterorum scriptorum testimoniis non congruunt ita vel per se summam movent suspicionem. Resipiunt haec Philaidarum commenta.

et Menexeni scriptorem (p. 240), quos tamen in hac causa vix audiendos esse, non dubito quin sibi persuasurus sit, qui reputaverit, unde tandem talis rei notitia ad eos manaverit. Est autem res ipsa adeo et arguta et spinosa, ut lenem veritatis superlationem latere in ea, vix facere possim quin suspicer. Redolet me iudice testimonium illud epigrammatis cuiusdam argumentum, in quo haud scio an oratorii ornamenti vel Lacedaemoniorum culpae sublevandae gratia res ita fuerit conformata. Quocirca equidem testimonio isti historiae fidem denegandam censeo meamque teneo computationem.

Sed restat, ut vel paucis verbis attingam Ungeri rationes, qui futilissimis Dionysii (A. R. V, 17) Gellii (N. A. XVII, 21) aliorum testimoniis nisus pugnam Marathoniam ad exeuntem ol. 72, 2 (h. e. ad ver 490) revocat. Fulcit Ungerus computationem suam notissimo Thucydidis loco VI, 59, quo in constituendo pugnae Marathoniae tempore uti omnino non licet, cum hinc demum Hippiae tyranni aetas definienda sit Iam vero quod Ungerus etiam Aeliani testimonium v. h. II, 25 in hanc quaestionem intrusit, misere lapsus est, quia 6. Thargelionis dies eodem modo e sacris, quae tum in Dianae honorem celebrabantur, deductus est, atque is, quem errore adfert Plutarchus At cardo omnino in hac versatur difficultate: obstrepit Ungeri ratio disertis cum Plutarchi, tum Marmoris testimoniis, unde pugnam sub Phaenippo archonte commissam esse confirmatur Priore vero parte anni 490, cui pugnam adsignat Ungerus, archon fuit Hybrilides [1]).

A pugnae Marathoniae tempore accurate circumscripto si proficiscimur, reliqui termini iam sine negotio constabiliuntur. Dat enim Thucydides VI, 59 haece: τυραννεύσας δὲ ἔτη τρία

1) Recepit tamen Ungeri calculum Busoltius Gr. G. I p. 551, id quod sanequam miror.

Ἱππίας ἔτι Ἀθηναίων καὶ παυθεὶς ἐν τῷ τετάρτῳ ὑπὸ Λακεδαιμονίων καὶ Ἀλκμαιωνιδῶν τῶν φευγόντων ἐχώρει ὑπόσπονδος ἔς τε Σίγειον . . ὅθεν καὶ ὁρμώμενος ἐς Μαραθῶνα ὕστερον ἔτει εἰκοστῷ ἤδη γέρων ὢν μετὰ Μήδων ἐστράτευσεν. Hinc Hippiam anno 510 Athenis expulsum esse cogitur. Qui terminus vel eo accuratius circumscribitur, quod Hipparchus interfectus est Panathenaeis, quae tertio quoque olympiadis anno celebrabantur. Mors eius igitur initio anni olympiadici 66,3 = 514 adsignanda. cf. [Platonis] Hipparch. p. 229. Ex scholio in Ar. Lys. 619 nihil licet concludi. Herodotus (V, 55) Hippiam abhinc ἐπ' ἔτεα τέσσερα regnasse exhibet, quod tempus accuratius determinavit Thucydides, qui eum integros annos tres regnasse, quarto vero expulsum esse testatur. Redundat ex hac computatione, Pisistratidarum exactionem ad exeuntem ol. 67, 2 vel ad priorem partem anni 510 reiciendam esse. [1])

Duravit autem Aristotele teste cunctum Pisistrati filiorumque imperium 51 annos, solum filiorum 18. Hinc Pisistratum 561 primum rerum potitum esse, 528 vero occubuisse liquido adparet.[2]) Quibus terminis standum est.

---

1) M. P. ep. 45: Ἀφ' οὗ Ἁρμόδιος καὶ [Ἀριστογε]ίτων ἀπέκτε[ιναν Ἵππα]ρχον Πεισιστράτου Ἀ[θηνῶν τύραννον] καὶ Ἀθηναῖοι [ἐξανέστ]ησαν τοὺς Πεισιστρατίδας ἐκ[τοῦ Πε]λασ[γικ]οῦ τείχους ἔτη ΙΙΙΙΔΔΔΙΙΙΙΙ, ἄρχοντος Ἀθήνησι *. Epocha conficienda ex computo B, ita ut ol. 67, 2 = 511/0 redundet. Flachius hanc rem leviore, quam par fuit, egit brachio.

2) Minus accuratus Busoltius, qui (Gr. G. I p. 551. 552) hos dat terminos: 560—527. Ungerus eosdem, atque ego amplexus est annos. Attamen eius rationes nequaquam possum probare. Quod Eratosthenes rotundo numero 50 annos numeravit (τοῦ ἀκριβοῦς διαμαρτάνων) omnino nihil valet in subtili hac quaestione praeter restrictissimum Aristotelis testimonium. Hinc quod voluit efficere nec debuit nec potuit Ungerus. Neque magis eis, quae in tabula Henzeniana (M. Rh. IX p. 177. Iahn-Michaelis, Griech. Bilderchron. p. 79 sq) scripta sunt: ἀφ' οὗ Πεισίστρατος ἐτυράννευ[σεν ἐν Ἀθή]ναις καὶ Αἴσωπος ἐν Δελφοῖς κατεκρημνίσθη ἔτη ϙοθ (id quod haud illepide Ungerus mutat in ϙοε) ad ipsum hunc terminum accuratius circumscribendum uti licet, cum unde chronici illius anni computati sint, certo definiri nequeat. Accivit praeterea Ungerus Herodoti

Restat, ut singulorum Pisistrati regnorum intervalla quantum possumus definiamus. Quod certo quidem fieri nequire

---

testimonium (VI, 103) ubi traditum est, Cimonem, Stesagorae filium (cognomine *Κοάλεμον*: Plut. Cim. 4), cum a Pisistrato civitate eiectus esset, Olympiae quadrigis vicisse. Iam vero cum insequenti olympiade idem iisdem equis victoriam Olympiam reportasset, honorem victoriae eum transtulisse ad Pisistratum. Qua re Cimonem a tyranno reditum impetrasse. Sed tertium iisdem equis eandem gloriam adeptum *κατέλαβε ἀποθανεῖν ὑπὸ τῶν Πεισιστράτου παίδων, οὐκέτι περιεόντος αὐτοῦ Πεισιστράτου.* Quas victorias deinceps se excepisse, ex equorum natura iusto iure collegit Dunckerus G. d. A. VI[5] p. 469. Verum erravit, cum ultimam victoriam propter Pisistrati exitum (527) ad annum 524 reiciendam duceret. Fieri enim potest, ut Pisistratus vel ante 63 olympiadis initium 528 mortem obierit extemploque post celebrationem Olympiam Cimon ab eius filiis interemptus sit. Hoc non iniuria obtinuit Ungerus, cuius quidem argumentationem adsequi nequeo: ‚Nach Aristoteles regierte Hippias 18 Jahre; dass diese reichlich bemessen und eher über als unter 18 volle sind, ist daraus zu schliessen, dass Herodot VI, 65 auf die wirkliche Regierung des Pisistratus und seines Nachfolgers nicht wie Aristoteles 35 sondern 36 Jahre zaehlt. Pisistratos ist also 528, möglicherweise schon vor Ende 529 gestorben.‘ Quod Ungerum commovit, ut ultimam Cimonis victoriam anno 528, non 524 adscriberet, hoc est: ‚Sein aelterer Sohn Stesagoras hatte damals das Mannesalter, d. h. das 20. Jahr noch nicht erreicht. Her. VI, 103. Dagegen 524 finden wir den jüngern Sohn Miltiades schon als Archon eponymos.‘ Sicut Ungerus etiam reliqui recentiores, qui rem perstrinxerunt, Miltiadem, 524 anni archontem eponymum (Dionys. Hal. A. R. VII, 3) cum minore Cimonis filio, victore Marathonio, aequiparant (Dunckerus G. d. A. VI[5] p. 496, Petersen, de hist. gent. Att. p. 26, Busoltius, Gr. G. I p. 565). Sed sive 524 sive 5‹8 Cimonem interfectum esse statuimus, Herodoti testimonium nequaquam cum hac opinione potest conciliari: *Ὁ μὲν δὲ πρεσβύτερος τῶν παίδων τῷ Κίμωνι Στησαγόρης ἦν τηνικαῦτα* (h. e. cum Cimon interficeretur) *παρὰ τῷ πάτρῳ Μιλτιάδῃ τρεφόμενος ἐν τῇ Χερσονήσῳ, ὁ δὲ νεώτερος παρ' αὐτῷ Κίμωνι ἐν Ἀθήνῃσι.* Dunckerus quidem de proprio verbi *τρεφόμενος* sensu ambigit, Petersenius praesentis temporis vim non esse urgendam statuit. Sed rimandis talibus argutiis hic iam minime potest absolvi. Aliam ingressus est viam Ungerus, qui de ‚Miltiade inicit haec: ‚Diese Würde hatten ihm die Pisistratiden, welche durch besondere Gnade gegen ihn den Verdacht des Mordes von sich abzulenken suchten, (Her. VI, 39) vermuthlich verschafft, sobald er das gesetzliche Alter von 20 Jahren erreicht hatte.‘ Typothetam quem volui accusare prohibeor insequentibus verbis: ‚Bei der Marathonschlacht zaehlte er, wenn diese Vermuthung zutrifft, 53—54 Jahre.‘ Nodus per ambages et captiones omnino solvi nequit, sed resecandus

non ignoro.[1]) Attamen redundat ex Herodoti narratione saltem hoc, priora duo tyranni imperia fuisse brevissima: cum enim alterum regnum suapte natura annum excedere non potuerit, prius vero brevissimum fuisse ipse addiderit Herodotus, altero hoc fuisse longius vix statuemus. Qua re unum quodque imperium quamdiu duraverit etsi certis terminis circumscribi nequeat, ambo tamen comprehensa biennium excessisse parum est verisimile. Itaque singula intervalla haud scio an hoc modo sint describenda:

561 — 560	I regnum.	1.
560 — 554	I exilium.	6.
554 — 553	II regnum.	1.
553 — 543	II exilium.	10.
543 — 528	III regnum.[2])	15

est. Miltiadis nomen veterioribus temporibus non rarum fuisse, et ex libris et ex lapidibus satis conspicuum est. Itaque Dionysii verba: *ἐπὶ τῆς ἑξηκοστῆς καὶ τετάρτης ὀλυμπιάδος ἄρχοντος Ἀθήνησι Μιλτιάδου* omnino ad Cimonis filium revocari licere nego. — Quod Herodotus de Cimone tradidit, in Megaclem transtulit commentator ad Ar. Nub. 64: .. *Μεγακλεῖ τῷ νικήσαντι τοῖς Ὀλύμπια καὶ δι' ἱπποτροφίαν κατελθόντι ἐκ τῆς φυγῆς· ἐδίωξε γὰρ αὐτὸν ὁ Πεισίστρατος, ὃν καὶ μετεπέμψατο παραχωρήσαντα αὐτῷ τὸ τῆς νίκης κήρυγμα.* Qui locus parum accuratae Petersenii commentationi adiungendus est.

1) Ex chronographis ad hanc quaestionem fere nihil redundat. Eusebii verba *Πεισίστρατος Ἀθηναίων τὸ δεύτερον ἐβασίλευσεν* (Sync. 451, 17) in Armeniaca translatione ad ol. 59,2 = 543 revocata sunt. Cogitari possit, Eusebium tertium imperium cum altero confudisse. Hieronymus s. ol. 60,2 idem exhibet: Pisistratus secunda vice Athenis regnat. Sed variant singuli eius manus. Legitur praeterea apud Syncellum 454, 15: *Πεισίστρατος Ἀθηναίων ἐτυράννησε καὶ εἰς Ἰταλίαν παρῆλθεν*, quae verba in translatione reiecta sunt ad ol. 54,4 = 561. Hieronymi manus hic non magis sibi constant. Recentiores inde a Meursio alii alia coniecerunt. Ungerus *Ἰταλίαν* in *Θετταλίαν* mutans Pisistratum vel eodem anno expulsum esse hinc deducit. Sed cum hac de re aliunde nihil notum sit, mihi quidem probabilius videtur esse, quod Dunckerus G. d. A. VI[5] p. 455 sumpsit, qui post *καὶ* Pythagorae vel alius cuiusdam nomen excidisse censet.

2) Ad annum 544 Ungerus initium tertii exilii revocat, quod 7 annorum fuisse statuit. Confirmatur haec opinio his (p. 392): ‚Die auffallende Thatsache, dass die Ionier 545 von ihrer Mutterstadt Athen keinerlei Unterstützung erhalten, ja nicht einmal um

De prioribus duobus imperiis si quis paullo secus statuerit nullus repugno. Quod si fecerit, reliqui termini nimirum ei ad hanc normam dirigendi erunt.[1])

Liceat mihi sub finem commentatiunculae huius nonnulla de Marmoris Parii rationibus verba adiungere. Vulgo enim Pisistrati tyrannis inde ab anno 560 repetitur, eius mors autem ad 527 refertur. (Clintonus F. H. II p. 2 et 203. Curtius Gr. G. I[5] p. 667. Dunckerus G. d. A. VI[5] p. 454. Busoltius Gr. G. I p. 552.) Quorum terminorum patrocinium qui susceperunt sententiam suam chronici Parii testimonio fulciunt.

Quaestio quidem satis est intricata, quippe quam his temporibus homines docti haud parum agitaverint. Priusquam autem ipsas chronici rationes in disceptationem vocemus, de termino

---

eine solche dort nachgesucht hatten, obgleich Pisistratus damals schon auf der Hoehe seiner Macht stand, die Kykladen und Sigeion beherrschte, auch am Strymon Besitzungen hatte, diese Thatsache laesst schliessen, dass er sich mit den Persern verstaendigt hatte und nicht helfen wollte.' ‚Solche Gefühllosigkeit gegen das Schicksal der Tochterstaedte mag in Athen Erbitterung hervorgerufen und den Anhang seiner Gegner so verstaerkt haben, dass der Tyrann um 544 gestürzt werden konnte.' Mittere possum meras coniecturas quae nullo fulciuntur argumento. Quin immo 544 vel 543 non expulsus esse, sed Atheniensibus ad Pallenem devictis Athenas rediisse videtur Pisistratus. De proelio Pallenensi Herootus haec facit verba I, 63: *οἱ δὲ ἀμφὶ Πεισίστρατον ἐσπεσόντες τοὺς Ἀθηναίους τράπουσι. φευγόντων δὲ τούτων βουλὴν ἐνθαῦτα σοφωτάτην Πεισίστρατος ἐπιτεχνᾶται, ὅκως μήτε ἁλισθεῖεν ἔτι οἱ Ἀθηναῖοι διεσκεδασμένοι τε εἶεν. ἀναβιβάσας τοὺς παῖδας ἐπὶ ἵππους προέπεμπε. οἱ δὲ καταλαμβάνοντες τοὺς φεύγοντας ἔλεγον τὰ ἐντεταλμένα ὑπὸ Πεισιστράτου, θαρσέειν τε κελεύοντες φκαὶ ἀπιέναι ἕκαστον ἐπὶ τὰ ἑωυτοῦ. Πειθομένων δὲ τῶν Ἀθηναίων οὕτω δὲ Πεισίστρατος τὸ τρίτον σχὼν Ἀθήνας ἐρρίζωσε τὴν τυραννίδα.* Sed nonne tota haec narratiuncula ex ipso tyranni nomine postero tempore ducta esse potest? — Petersenius, de hist gent. Att. p. 49 proelii Pallenensis commemorationem apud Andoc. I, 106 commiscet cum Hippiae exactione. Quippe obliviscitur ille Andocidem in historicis tironem fuisse hebetissimum.

1) Busoltius Gr. G. I p. 552 quidem me iudice parum probabiliter primum imperium altero tribus annis longius ponit. Nec quos ille statuit exiliorum termini respondent testimonio Aristotelico. Holmius Gr. G. I p. 501 quod ad tempora attinet ad Ungerum et Busoltium relegasse satis habet.

unde Marmoris anni computati sunt, videndum est. Res est tritissima, singulas chronici illius epochas repeti inde a Diogneto, archonte Attico, quem Boeckhius (C. I. G. II p. 306) anno 264/3 adsignavit. Iam vero ex quo in papyris Herculanensibus (ed. Comparetti Torino 1875) nova et ea haud indigna de Stoicorum temporibus testimonia comparuerunt multique homines docti cum alii tum Rohdius his rebus studium suum admoverunt, Boeckhii ille calculus sepultus est. Quoniam enim duo annni anonymi exstant, quorum uter Diogneto, uter Arrhenide archonte (sub quo Zeno obiit mortem) exornandus sit, traditum non est, tota haec quaestio inde pendet, quonam anno Zeno Stoicus defunctus sit. Rohdius (M Rh. XXXIII p. 622 sq.) ut hunc terminum definiat, proficiscitur a papyro, (p. 57 Compar.) ubi scriptum est, Cleanthem Zenonis successorem τὴν σχολὴν κατασχεῖν ἐπ' ἔτη τριάκοντα καὶ δύο.[1]) Cleanthem anno 232/1 (archonte Iasone: Papir. Ercol p 57 Compar.) mortuum esse aliunde certo constat (Luc. Macrob. 19. Valer. M. VIII, 7, Extern 11. papir. Ercol. p. 58). Ergo Rohdius quo anno occubuerit Zeno, ita efficit, ut 32 hos papyri annos 232 anno adiciat, unde Zenonis mortem ad 264 revocandam esse adpareat. Quae computatio Rohdio comprobatur testimonio Hieronymi, qui sub anno Abrah. 1753 — ol. 129, 1 habet: ‚Zeno Stoicus moritur, post quem Cleanthes.' Recepit rationem Rohdianam Gomperzius M. Rh. XXXIV p. 154 sq. qui ipse tempus vel accuratioribus terminis circumscripsit ita, ut Zenonis mortem Scirophorioni mensi anni olympiadici 128, 4 adsignaret. Quem annum Gomperzius vindicat Arrhenidi Evitavit quidem hoc modo ille, quod neglexerat Rohdius, quippe

1) Ultimum numerum in papyro paene deletum supplevit Gomperzius Jen. Lit. Ztg. 1875 p. 605. Quod supplementum proxime ad papyri vestigia accedere postmodo in Italiam profecto suis ipsius oculis inspicere licuit. cf. M. Rh. XXXIV p. 154.

cum annum 264/3, cui Rohdius Zenonis mortem adscribit, ex Marmoris computationibus occupavisset Diognetus.[1] At obstrepit calculo Gomperziano ipsum Atheniensium de Zenonis morte decretum, cuius exemplar servatum est apud Diog L. VII § 11. Cum enim hinc redundet, Athenienses mense Maemacterione, Arrhenide archonte, decrevisse οἰκοδομῆσαι αὐτῷ καὶ τάφον ἐπὶ τοῦ Κεραμεικοῦ δημοσίᾳ, Zeno nequaquam mense Scirophorione sub eodem archonte mortem potest obiisse. Omnino vero decretum illud non nisi continuo post philosophi exitum factum esse probabile est, id quod iusto iure obtinuit Wilamowitzius (Antigon. p. 252). Zeno igitur quin sub ipso Arrhenide vita decesserit, dubitari non potest.

Hoc autem nullo pacto posse consociari cum Boeckhii calculo rectissime perspexit Wilamowitzius, cum in *Antigono* seriem archontum Atticorum restitueret. Wilamowitzius ergo, ut ol. 129,1 = 264/3 vacet Arrhenidi, Diognetum, quem ipsi ei anno adscripserat Boeckhius, in annum insequentem transfert: ol 129,2 = 263/2. Hinc Wilamowitzio iudice auctor Parius annos chronici computavit. Eundem calculum complexus est etiam Gelzerus, Hist. u. phil. Aufs. E. Curtius gewidm. (1884) p. 18 et qui nuper chronicon illud edidit Doppius p. 61. Alii, velut Spangenbergius, De Athen. public. institutis aet. Maced. commut. Halis 1884 p. 31 et Flachius Chron. Par. p. XVI inter ol. 129,1 et ol. 129,2 incerto titubant gradu.

At argumentatio Rohdiana, qua hae rationes nituntur, argutior est, quam verior. Nam illud, quod in papyro comme-

1) Cadunt igitur Wilamowitzii illa (Antig. p. 252) ‚Es hätte sich geschickt die Schwierigkeit, die ich durch Beseitigung des Diognetos gehoben habe, nicht zu verschweigen' non in Gomperzium, sed in unum Rohdium. Rohdii calculum consensu suo comprobavit etiam Susemihlius N. Jahrb. f. Philol. 1882 p. 744, Adn. 39.

moratur, inter Zenonis et Cleanthis mortem intervallum, ut ipsum Zenonis mortis tempus redundaret, non ad annum 232, sed ad 231 addendum fuit. Adparet hoc inde, quod annus Abrahami 1753, ad quem Hieronymus Zenonis mortem revocat, non genuinae olympiadi 129,1 sed 129,2 respondet. Hieronymus enim in ipsa epocha olympiadica constituenda uno anno deceptum esse maxime hic tenendum [1]. Respondet igitur olympias Hieronymiana 129,1 non anno christiano 264/3, sed 263/2. Itaque Zeno anno 263 archonte Arrhenide (posteriore anni parte, sed ante mensem Maemacterionem) defunctus est. Quo de calculo eo minus poterit dubitari, quo Rohdius Eusebii hanc computationem ad Apollodorum, Stoicum et ipsum et Panaetii amicum redire satis probabile fecit. Quae hinc ad seriem archontum Atticorum redundant manifesta sunt: cum enim ol. 129,2 = 263/2 necessario occupetur Arrhenide, Diogneto ol. 129,1 = 264/3 reddendam esse sequitur.

Ac constituta ipsa Marmoris epocha iam de ratione, quam auctor Parius in computandis annis adhibuerit, videndum. Neque enim chronographus sibi ipsi plane constitit: nam quae indicat ille intervalla cum eo, quo opus confecit, termino non semper congruunt, verum interdum anni spatio distant ab illo. Doppius, qui nuper non sine acumine in hanc rem inquisivit, Parium rationem suam ab iis rebus instituisse censet, quae ab eo tempore, quo chronicon conscripsit, minimo intervallo distarent. Itaque eum progredientem a minoribus numeris ad maiores in ea operis parte, quam prius composuit, annum, quo ipse scriberet, non addidisse, iam vero cum inter scribendum tempus anni maiore ex parte dilapsum esset, annum ab eo esse additum.

1) Rectissime hoc monuit Gutschmidius apud Flachium Chron. Par. p. XVI. — In Armeniaca Eusebii translatione Zenonis mors ad ol. 128,1 revocatus est.

Qua ratiocinatione nisus Doppius ex priore parte Marmoris, posterius exsculpta illa quidem, Boeckhii computum (A) eicit, in altera retinet. Sed eius argumentationi, quantumvis sollerter excogitatae, equidem subscribere nequeo, cum causam iustam non videam, qua chronici auctor commotus sit, ut in altera lapidis parte annum, quo rationes suas insculpsit, excluderet, in altera adiungeret. Quod enim Doppius (p. 61) ipsum opus per totam seriem annorum (264/3 — 263/2) compositum esse adserit, id omnino abhorret cum ab ipsa chronici indole, tum a disertis verbis auctoris. Pario procul dubio, cum opus suum conficeret, tota computatio in charta depicta ad manum fuit, unde eam transtulit in lapidem. Aliter opus tam late patens et ex diversissimis fontibus congestum confici omnino non potuit. Quod si tenemus iam nequaquam potest exputari, cur auctor inde a suis temporibus exorsus sensim ad ultimam antiquitatem processerit. Immo qua ratione in annis computandis usus esset, satis mihi videtur indicasse in prooemio Parius ipse: *ἀνέγραψα . . . ἀρξάμ[εν]ος ἀπὸ Κέκροπος τοῦ πρώτου βασιλεύσαντος Ἀθηνῶν εἴως ἄρχοντος ἐμ Πάρῳ . . . . υάνακτος, Ἀθήνησιν δὲ Διογνήτου.* Instituit igitur ille ita rationem suam, ut inde a Cecrope profectus singulorum regum vel archontum nomina numeraret usque ad Diognetum. Hoc sane rectissime posuisse videtur Wilamowitzius (Antig. p. 252) neque eum a Doppio nuper refutatum esse concedere possum. Sed unde tandem differentia illa irrepsit in computationem? Doppii de eius causis opinionem perlustravimus. Aliter de hac re iudicavit Gutschmidius (apud Flachium p. XVII), qui auctorem in priore lapidis parte annum, in quem desiisset, inclusisse, in posteriore vero exclusisse censet [1]). At facere non possum, quin obloquar viro doctissimo. Nam Marmor num omnino ita possit bipartiri, ut alius in pri-

1) Gutschmidio adsensus est Busoltius Gr. G. I p. 493.

ore, alius in posteriore parte unice regnet computus dubito. Nec me iudice id evicit Doppius. Ut enim Boeckhium de ep. 58, 62, 63 (computi C, D, C.) erravisse libenter Doppio concedo [1]), ita eis, quae de ep. 35. 38. 41. 55 ille protulit ipse, adstipulari nequeo. Paullo enim dissolutius munere suo functus esse videtur. In ep. 35 et 41, quae altera ab altera pendent, utrumque computum (A et B) eodem iure licere adhiberi, supra vidimus. Sed commendari Boeckhianum (A) ex usu chronographorum nemo opinor non concedet. De ep. 38, cuius numerus ipse non est integer, certum iudicium omnino ferri nequit. Hic suo arbitrio quidvis potest supplere quivis [2]). Ex his igitur epochis ad Parii rationem accuratius circumscribendam extricari potest nihil. Ac valet mea sententia prorsus idem de ep. 49, quam quidem ex computo B restitui iubet Doppius (p. 61). Agitur de anno Aristidis, qui accurate potest determinari ex loco Plutarcheo (Aristid. 5): Ἐν δὲ ταῖς ἀναγραφαῖς . . . μετὰ Φαίνιππον (ita nomen scribendum), ἐφ᾽ οὗ τὴν ἐν Μαραθῶνι μάχην ἐνίκων, εὐθὺς Ἀριστείδης ἄρχων ἀναγέγραπται [3]). Sed ne hinc quidem ansa praebetur ad certam rationem auctori obtrudendam, cum vetusta lapidis scriptura iam prorsus evanuerit: haesitabat iam Seldenus inter ... ΔΙΙ et ΔΠΙ [4]). Restat ep. 55, quam Marmoris auctorem sua ipsius ratione invenisse ideoque errorem commisisse Doppius autumat (p. 59). At equidem

1) Flachius se ei hic ut plerumque adplicavit. Omnino Flachius ipse in editione sua novi vix attulit quidquam, quod non et planius et enucleatius exstaret in commentatione Doppiana.

2) De veteri scriptura servata sunt haec: *IIIIIΔ. II.* quae Chandlerus supplevit: *IIIIIΔΔII.* Boeckhius: *IIIIIΔIIIII.* Doppius: *IIIIIΔΔIIII.*

3) Dissentit auctor Parius a serie Phalerei, qui Aristidem ad annum pugnam Plataeensem insequentem revocavit. Quaenam *ἀναγραφαί* illae fuerint, aliunde ignotum est, sed conspirant cum iis, quas usurpavit Parius.

4) Inaudita confidentia Flachius p. XVII: ‚In hac erravit Dopp, quia in lapide est *ΔII*, ut corrigi nequeat.‘

causam idoneam non invenio. Parii verba haec sunt: ἀφ' οὗ Ἱέρων Συρακουσῶν ἐτυράννευσεν, ἔτη ΗΗΠΙΙΙ ἄρχοντος Ἀθήνησι Χ[άρ]ητος. Iam vero apud Diodorum de Charete haec exstant XI, 53: Μετὰ δὲ ταῦτα Ἀθήνησι μὲν ἦρχε Χάρης. . . ἤχθη δὲ παρ' Ἠλείοις ὀλυμπιὰς ἑβδομηκοστὴ καὶ ἑβδόμη, καθ' ἣν ἐνίκα sq. Eodem nomine ol. 77 exornavit etiam Dionysius A. R. IX, 37. Hinc quam rationem in constituenda hac epocha secutus sit Parius liquido adparet: ol. 77, 1 = 472 = 208 + 264. Licet de re gesta erraverit auctor, sed verum archontis annum quin rectissime habuerit defixum, dubitari nequit.

Sufficere haec ad debilitandam Doppii argumentationem arbitror. Duo illi computi in lapide cancellis inter se limitari omnino nequeunt. Sub operis finem quidem omnia intervalla ex eadem ratione (A) confecta esse apertum est. Minime vero hoc de superiore parte Marmoris licet statui. Hic Parii rationes sibi non constiterunt In eo opinor acquiescendum est. Quae quidem inconstantia auctoris unde repetenda sit nescire me fateor. Eis quae Wilamowitzius hac de re posuit (Je nachdem er diesen (Diognetos) mitzaehlte oder nicht, ergab sich die Differenz) ipsa inconstantia tantum statuitur, non eius causae exponuntur. Sed priusquam ipsius inconstantiae leges patefactae erunt id omnino posse fieri despero. Nec talis socordia ita est mirifica in homine, cuius totum opus tot tantisque scatet erroribus.

Restat ut tribus verbis quae hinc ad Pisistrati epocham redundent exponam. M. P. ep. 40: ἀφ' οὗ Πεισίστρατος Ἀθηνῶν ἐτυράννευσεν, ἔτη ΗΗ𐅄ΔΔΔΙΙΙΙ ἄρχοντος [Ἀθήνησ]ι Κ[ωμί]ου. Eundem archontem exhibet Plut. Sol. 32: Ἐπὶ Κωμίου μὲν γὰρ ἤρξατο τυραννεῖν Πεισίστρατος. Iam vero cum supra effectum sit, initium Pisistrati tyrannidis necessario in annum 561 incidere, quin etiam Comiae hic annus ex computo A redintegrandus sit, vix poterit dubitari: 297 + 264 = 561.

Sententiae controversae.

1. Aiacem Telamonium proprie heroa fuisse Megarensem nego. (C. Sittl, Philol. 1885 p. 210).

2. Rudolfus Hercher (Homer. Aufs. Berl. 1881) iusto acerbius de Demetrio Scepsio iudicium fecit. cf. p. 47. 80. 86.

3. Lygdamis Naxius, homo privatus non tyrannus ex Naxo insula expulsus, Eretriam venit. (Heinze de reb. Eretr. p. 30. Busolt Gr. G. I p. 555. Gilbert Staatsalterth. II p. 202.)

4. Andocides I, 106 Blass[2]: Οἱ πατέρες οἱ ὑμέτεροι . . . νικήσαντες μαχόμενοι τοὺς τυράννους ἐπὶ Παλληνίῳ, στρατηγοῦντος Λεωγόρου τοῦ προπάππου τοῦ ἐμοῦ καὶ Χαρίου οὗ ἐκεῖνος τὴν θυγατέρα εἶχεν, ἐξ ἧς ὁ ἡμέτερος ἦν πάππος. Cum Meiero (Opusc. Acad. I p. 102) post προπάππου insero τοῦ πατρός, πάππος muto in πρόπαππος. cf. II, 26.

5. Septem fabulam retractationis vestigia ostendere non evicit W. Richter, De dupl. ed. Sept. fabulae in Quaest. Aesch. Berl. 1878. (Wilamowitz Herm. XVII p. 354.)

6. Munichus, Munichiae paeninsulae priscus eponymus genuinus videtur fuisse rex Atticus. Quem e Thracia immigrasse Athenas, nulla exstant vestigia, quibus demonstretur. (Wilamowitz Kydath. p. 138.)

7. Plutarchi verba (Alcib. 13) Φέρεται δὲ καὶ λόγος τις κατ' Ἀλκιβιάδου καὶ Φαίακος γεγραμμένος hocce fere modo red-

integranda: Φαίακι γεγραμμένος. cf. supra c. 12: καὶ λόγος Ἰσοκράτει γέγραπται περὶ τοῦ ζεύγους.

8 Plut. Them. 12: Ἦν δὲ τῷ μὲν γένει Πέρσης ὁ Σίκιννος, αἰχμάλωτος, εὔνους δὲ τῷ Θεμιστοκλεῖ. Ultima verba sic restituo: αἰχμάλωτος εὐνοῦχος τοῦ Θεμιστοκλέους.

9. Athen. p. 609. καὶ τὴν κατάγουσαν δὲ Πεισίστρατον ἐπὶ τὴν τυραννίδα ὡς Ἀθηνᾶς δῆθεν (codd πεῖραν) εἶδος ἔχουσαν scripserim. cf. epitom. Καλὴ δὲ ἐγένετο καὶ ἡ παραβατήσασα Πεισιστράτῳ ἐπὶ τὴν τυραννίδα, ὡς Ἀθηνᾶ δῆθεν, ἡ στεφανόπωλις.

10. Aristoph. Ach. 508 poetae reddendus est.

11. Valer. Maxim. VII. 2 Ext. 7 sic lego: Aristophanis quoque altioris est prudentiae praeceptum, qui in comoedia introduxit remissum ab inferis Atheniensium principem poetam vaticinantem non oportere in urbe nutrire leonem. cf Arist. Ran. 1431. (*Halmius*: Atheniensium principem Periclem. *Kempfius*: Atheniensem Periclem.)

Vitae summarium.

Natus Dorpati die XXVIII m. Octobris a. 1860 fidem profiteor evangelicam. Septimum aetatis annum ingressus a patre carissimo praeceptori domestico erudiendus traditus sum. Dein in tertiam gymnasii Dorpatensis classem receptus doctrinae qua aetas puerilis institui adsolet fructus percepi usque ad a. 1878. Quo anno maturitatis examine superato Dorpati primum iurisprudentiae tum philologiae studio operam navavi. 1884 a. *candidati* gradum adeptus in Germaniam commigravi, ubi per tria semestria et philologiae et historiae disciplinam colui. 1886 a. autem Dorpati *magistri* examen sustinui. Atque cum omnibus, qui studia mea et benignitate et liberalitate prosecuti sunt gratias ago quam maximas, tum iis qui eximia benevolentia sua imprimis me sibi obstrinxerunt Hoerschelmannio, Loeschckio, Mendelssohnio, praeceptoribus meis Dorpatensibus. Gratus autem hoc loco animus testificandus est etiam Nissenio et Usenero Bonnensibus, Sauppio et Wilamowitzio Gottingensibus, quorum memoriam pio semper animo reculturum me esse spondeo.

Corrigenda.

Doleo in verbis compositis me non semper eodem modo adsimilationis leges observavisse. *Ille quidem* passim in unum verbum contractum est. Praeterea

pag.	1	versu	15	pro , legendum est -
„	1	„	16	„ - „ ,
„	4	„	16	, omissum est.
„	43	„	14	. „
„	45	„	13	*non* eiciendum est.
„	49	„	24	pro *Κονὸσουραν* legendum est *Κυνὸσουραν*.
„	49	„	26	*non* eiciendum est.
„	91	„	1	pro *στραγηγὸν* legendum est *στρατηγὸν*
„	95	„	14	„ *οὅτω* legendum est *οὕτω*
„	98	„	5	. omissum est
„	126	„	9	pro *ξείγους* legendum est *ζεύγους*.